



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

Liber CLXXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ

LIBER CLXXXII.

~~~~~  
CLEMENS VIII. PONTIFEX MAX.  
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Hungarici belli initium adversus  
Turcas.*

Cum turcæ insuperhabitis induciis  
Anno Domini millesimo quingen-  
tesimo octogesimo quarto sancitis  
Carniolam, Croatiam, & Bosniam in-  
festis armis invaderent, pluresque ur-  
bes

Sæcul. XVI,  
A. C. 1596.

Thuan. hist.  
lib. 115.  
Chytræus  
l. 30. p. 897.

*Hist. Ecclesiast. Tom. LII.*

A

bes

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

bes Christianis eriperent, ineunte hoc anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo sexto Rudolphus II. Imperator auctis undique viribus bellum adversus hosce Barbaros instaurare constituit, hancque in rem præter militum suppetias a summo Pontifice, nec non ab Ordinibus, & singulis Imperii Circulis sibi submissas, insuper ex Austria, Bohemia, Hungaria, Moravia, aliisque ditionis suæ regionibus copiosum contraxit exercitum: præprimis vero Nicolaum Palfium, & Terkensem Comitem strenuos Belliduces Strigonio, munita Hungariæ inferioris Urbe, excurrere jussit, non sine prospero primæ expeditionis successu; quippe hi in Croaticam penetrantes in quadringentos Turcas incidunt, eosque usque ad Wihilzæ urbis a turcis captæ portas insequuntur, atque omnibus ferme captis, pluribusque eorum occisis vicinos agros depopulantur, demum vero opima præda onusti Strigonium victores redeunt. Tornahusius quoque exeunte Mense Januario Tartaros Sescinensem agrum devastantes, quos potius prædæ aviditas, quam victoriæ spes ad opem ferendam impulerat, impetu facto repressit, ac cum ingenti damno recedere coegit. Paulopost cum Temesvariæ Bassa, seu Præfectus a Mahomete Turcarum Imperatore

peratore Constantinopolim revocaretur, in itinere omnibus suis impedimentis ab Heiducis, (ita Hungari suos pedites appellant) spoliatus, ac in prælio trucidatus fuit, ubi dein caput hastæ affixum a victoribus Albam Juliam delatum est: sequenti autem Mense Februario Palsius Vaciam Urbem concubiæ noctis beneficio admotis scalis superabat, Turcarum plurimis aut igne absumptis, aut in Danubio submersis: cum vero idem Bellidux Urbis arcem ob accurrentes turcarum suppetias expugnare desperaret, direpta, incensaque urbe discessit.

§. II.

*Maximilianus Cæsaris Frater Christiani exercitus Bellidux nominatus.*

Equidem Imperator præter summi Pontificis, Florentini, Ferrariensis, & Mantuani Ducum copias plusquam viginti equitum, ac quinquaginta peditum millia recensabat, agebatur tamen de Belliduce ad tanti belli administrationem idoneo, a cujus fortitudine, reique bellicæ experientia magis prosper, quam superiori æstate, magisque Ecclesiæ, atque Imperio salutaris exitus sperari posset: igitur Carolo Mansfeldio anno priori ex alvi profluvio fatis functo Rudolphus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

*Chytræus*  
p. 910.  
*Thu. l. 6.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

dolphus Alphonsum Ferrariæ Ducem fenefcente prudentia, virtute bellica, ac indefeffa industria clarum subrogare meditabatur: cum autem hic familiæ fuæ postremus nullum hæredem haberet, priusquam ad Hungaricam expeditionem peregre proficifceretur, in Cæfarem Ateftinum fratrem suum patruellem jus fuffeffionis in Ferrariæ Ducatum devolvere ftatuit, hancque ob rem fummum Pontificem, cui tanquam fupremo Domino hic Ducatus beneficiario jure obnoxius erat, fupplex adiit: aft Clemente VIII. id ob natalium vitium, quo Ateftinus laborabat, conftanter recufante, Alphonfus in patria fua remanere coaftus delatum exercitus imperium excufabat, quapropter Rudolphus decernebat, ut Mathias ejus frater in inferiori, Maximilianus vero alter ejusdem Imperatoris Frater in fuperiori Hungaria fupremus Cæfarei exercitus Præfeftus effet, cui etiam tanquam Vicarium adjunxit Arnoldum Schwarzenbergium.

## §. III.

*Transylvaniæ Princeps a Cæfare fuppetias efflagitans.*

*Spond ad hunc annum num. 1. Chytr. l. c. pag. 899. Thu. l. c.*

Quamvis Poloni follicitantibus fummum Pontificis, Cæfaris, & Saxonis, ac Brandenburgici Electorum Legatis auxilia

Sæcul.XVI.  
A. C. 1596.

auxilia contra turcas ferre spondidissent, nihilominus cum valido exercitu ex improvise universam Moldaviam occupantes eandem turcarum imperio rursus subiciebant: ut ergo Sigismundus Batorius Transylvaniæ Princeps tam Polonos, quam Turcas armorum potentia debellare posset, per Cassoviam facto itinere Pragam, ubi tum Cæsar agebat, ex consilio Pontificii Oratoris, & P. Alphonfi Camilli Jesuitæ, quem a confessionibus habuit, profectus die quarta Februarii ibidem perhonorifice exceptus, ac paulopost ad Cæsaris alloquium admittus est, ubi initam priori anno die vigesima octava Januarii inter ipsum, & Rudolphum armorum societatem firmari, necnon ab eodem Cæsare, atque ab Imperio validis contra communem hostem suppetiis augeri efflagitabat, vicissim pollicitus, se Austriacæ Domui semper addictum, ac fidenunquam violanda S. R. Imperio adhæsurum. Rudolphus igitur tria peditum, & duo equitum millia per trimestre Cæsaris ære alenda Sigismundo promisit præter belli tormenta, & viginti quatuor aureorum millia singulis mensibus ejus arbitrio impendenda: insuper Nuntius Apostolicus Cosertanus, qui ad sancendum fœdus Cæsarem inter, & Polonos a Papa eo missus erat, no-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596. mine Clementis VIII. Transylvaniæ Principi in singulos menses quadraginta aureorum millia pollicitus est: horum itaque subsidiorum spe fretus Sigismundus obtenta a Cæsare abeundi venia per Lintzium Viennam die undecima Martii pervenit, ubique pari honorum testificatione receptus; cum autem Græcium ad Mariam socrum suam contendere pararet, accepto nuntio, quod novi tumultus domi fuissent exorti, mutata itineris ratione in patriam propere reversus est.

## §. IV.

*Temesvaria a Sigismundo Batorio  
obsessa.*

*Thuan. l. c.* Die duodecima Aprilis Franciscus Nastauius, & Gregorius Stephanus Turcas ad certaminis necessitatem compellebant, eosque feliciter in fugam agebant, captis illorum aliquot, qui ipsum Mahometem cum tribus validissimis exercitibus in Pannoniam irrupturum retulerunt, quo cognito Rudolphus, & Sigismundus paratis omnibus ad acre bellum necessariis summum Pontificem datis literis sollicitabant, ut per Italiam delectus haberi, atque auxiliares copias submitti curaret. Nec suo officio de-  
erat Pontifex; quippe non modo in ditione Ecclesiastica, sed permittente Philippo

lippo II. in tota etiam Italia habito delectu octo equitum, peditumque duodecim millia Ductore Francisco Aldobrandino submitit, ejusdem Pontificis instinctu, Etruriæ, & Mantuæ Ducibus pariter validas militum suppetias ferentibus: cum igitur plures Christianorum exercitus diversis itineribus in Hungariam penetrarent, vario Marte pugnatum est, ac præprimis Cæsarei inito prælio prope Lippam urbem quatuor turcarum millia trucidarunt, captis quam plurimis: ipse etiam Sigismundus Plivianum exiguum oppidum ad Ischam situm occupat, atque urbe flammis absumpta Bassam unacum uxore, & liberis suis captum abducit: qua victoria animatus Temesvariam munitissimam Hungariæ superioris urbem, ac Bassæ sedem obsidere statuit; cum enim præsidiarii jam antea infausta eruptione plurimum imminuti essent, Batorius hostium trepidatione opportune utendum ratus ad hanc urbem castra posuit, atque aliis quibusdam minoris momenti arcibus feliciter occupatis jam amplam murorum partem tormentorum vi disjecit: cum autem vigesima quinta Maji die, seu decima ab obsidione Tartari turcis foedere conjuncti per Ponti Euxini littus in Bulgariam irrumpentes Temesvariam contenderent, turcæ qua-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

draginta millium numero aucti Christianorum castra a tergo invadunt, quibus tamen Batorius nullam virtuti difficultatem imperviam esse ratus strenue occurrit, atque animo ad vincendum obfirmato, quamquam numero hostibus longe inferior esset, acerrimum prælium iniiit, tandem vero nutantis victoriæ controversiam diu ambiguan nox diremit, æquato pene utrinque decore, nisi quod longe major turcarum clades fuerit, & Christianorum nonnisi mille quingenti ceciderint: ipse equidem Sigismundus in prælio occisus credebatur, qui tamen ad suorum preces jam antea e pugna discesserat, finito autem certamine reversus, cum Temesvarienses præsidarii diruta mœnia reparassent, ac recentibus copiis auferentur, obsidionem solvit, seque in Transylvaniam recepit, validiores ibi præstolaturus suppetias, cum Germanorum, & Hungarorum auxilia a Cæsare promissa haud amplius sibi polliceretur: in itinere autem constitutus Fallacam oppidum haud procul a Lipa situm deditione recepit.

§. V.

*Maximiliani Archiducis expeditio in Turcas.*

*Spond. n. 5.* Interea Cæsareus exercitus, cum e  
*Thus. l. c.* longinquo, & a diversis Provinciis  
*Isthuan.* collige-  
*l. 30. p. 690.*

colligeretur, lente, ac tarde nonnisi  
 mense Julio convenerat, die autem de-  
 cima octava Julii Maximilianus Rudol-  
 phi Cæsaris Frater, qui supremus Bel-  
 lidux in superiori Hungaria renuntiatus  
 fuerat, habitò copiarum censu præter  
 Bavaras, & Solnenses legiones, inter  
 exterarum copias peditum sex, & equitum  
 quinque millia septingentos recensebat,  
 ac cum toto exercitu Vienna egredie-  
 batur, præeunte vexillo, quod præter  
 bicipitem Aquilam, ex altera parte ima-  
 ginem B. Virginis cum hoc elogio: *Pa-  
 trona Hungariæ*: præsefererebat. Demum  
 mense Augusto Maximilianus Vaciam  
 contendit, quam urbem nullo negotio  
 occupabat, eo quod incolæ abactis pe-  
 coribus, & armentis, omnique suppel-  
 lectili ad Archiducis adventum affu-  
 gerent, bellicæ tormentis terræ defos-  
 sis urbem desertam, atque incendio va-  
 statam relinquerent, quam tamen Cæ-  
 sarei imposito præsidio muniebant. Inde  
 Maximilianus Hatuanum progressus,  
 hanc urbem ad Zagivam prope Zolno-  
 cum positam die decima quinta Augusti  
 obsidere cœpit, ubi quatrimum obsi-  
 dio tenebat, ac præsidarii, qui nu-  
 mero mille erant, eruptione facta Cæ-  
 sareos ingenti damno affecerunt, tan-  
 dem vero de deditiois conditionibus  
 agere cœperunt, quibus rejectis extre-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1596.

Meyer  
 pag. 198

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

ma oppugnatio tentata est, ac die tertia septembris post pertinax quatuor horarum certamen Treskius primus cum sua centuria murum conscendit, ubi mox insequente Rasurmio, aliisque urbs expugnata est, cæsis in hac obsidione turcarum tribus millibus, & Christianorum trecentis. Capta urbe victoris militis licentia nec ab ipsis Belliducibus cohiberi poterat, præcipue vero Belgæ impotentibus, indomitisque furiis in turcas debacchabantur, cædibus, & rapinis, nec ætati, nec sexui, & nequidem supplicibus parcentes, sed uti quemque de hostibus casus, & fors in manum dederat, promiscuo debebant interitu: interea cum ex Sultani literis eo tempore interceptis cognosceretur, quod ipsemet hic turcarum Imperator cum potentissimo exercitu proxime adventurus esset, hinc Maximilianus belli tormentis, & præfidiariis, quos urbi imposuit, abductis, eandem vix non flammis absumptam Turcis reparandam reliquit, atque incolumi exercitu Cæsareum militem in stationes suas dimisit.

## §. VI.

*Mahometis turcarum Imperatoris victoria in Hungaria.*

*Burcard.  
Struv corp.  
hist. Germ.*

Jamjam Mahometes turcarum Imperator vigesima Junii Constantinopoli egres-

egressus præmissis copiis, ac trecentis belli tormentis Albam Græcam pervenit, inde vero Budam contendens, superiorem Hungariam invasit, castrisque inter Danubium, & Tibiscum ad Agriam positis hanc urbem obsidere cœpit, quam Treskius Comes unacum plusquam quinque præsidiariorum millibus tuendam susceperat: porro per sex omnino dies nunquam interrupto obsidentium furore mœnia quatiebantur, septima tandem die præsidiarii urbe incensa ad arcis propugnaculum sese recipere cogebantur, quodlibet fugæ suæ vestigium turcarum cæde redimentes; eos enim incautius insequentes non sine clade reprimebant, ac decima quarta die ex propugnaculo, quod pridie Turcæ expugnaverant, recuperato erumpentes ingentem hostium numerum debebant, unde Sultanus ex infracta obsessorum virtute res suas in discrimen vocari veritus, opimis conditionibus, additisque minis eos ad deditionem sollicitabat; ast hi nec promissorum lenociniis capti, nec minacium verborum severitate territi eruptione facta turcarum stationes evertabant, ipsum Ibraimum Vezirium in fugam agentes; tandem decima octobris die post quintam hostium oppugnationem a propugnaculo ad arcem sese recipere cogebantur, relictis suorum octingentis;

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

Period. 10.  
sect. 7. §. 16.  
Tha. 6.  
Spond. l. c.

Sæcul. XVI. gentis, quos Turcæ trucidabant, ubi  
 A.C. 1596. dein quadringenta occisorum capita ante  
 Sultani tentorium palis affixa exposue-  
 runt, ac biduo post igne cuniculis ad-  
 moto arcis mœnia potissima ex parte  
 diruerunt, quapropter obsessi, cum de  
 promissi auxilii adventu desperarent,  
 ac pulvis nitratus deficeret, necnon  
 ducenti ferme omnes Itali ad turcarum  
 castra transfugerent, de deditioe cum  
 hoste transigere postulabant, frustra  
 Treskio Governatore, & Niario Paulo,  
 aliisque Belliducibus militum animos  
 precibus, ac minis obfirmare, atque  
 ignavæ deditiois ignominiam avertere  
 conantibus. Ergo die decima tertia  
 Octobris arx turcarum potestati tradi-  
 tur, pactis hisce conditionibus. I. Præ-  
 fidiarii vita incolumi cum gladiis, at-  
 que impedimentis in tutum quemdam  
 locum deducantur. II. Treskius, Nia-  
 rius, ceterique Belliduces captivi re-  
 maneant, cum captis turcis commu-  
 tandi. Verum præfidiarii haud longe  
 progressi in latissimo quodam campo  
 violata fide ferme omnes jubente Præ-  
 torianorum Præfecto a Turcis, Tarta-  
 risque occisi sunt, nonnulli quoque vivi  
 excoriati, caussantibus Turcis, quod  
 fidem datam illis servare non adstrin-  
 gerentur, eoquod Christiani antea cru-  
 delem in modum Hatuani Turcas ha-  
 buissent:

buissent: cum autem captivi ad Sultani tentorium deducti in Strigoniensi deditione fidem erga Turcas integre servatam, nunc vero turpiter fractam eidem exprobrarent, Sultanus, ut perfidiæ calumniam præverteret, Janissarorum Præfectum in frustra conscindi jussit.

Sæcul.XVI.  
A.C. 1596.

§. VII.

*Christiani in Chrysircensi prælio devicti.*

Maximilianus quidem obsessis opem laturus accurrebat: ast ob viarum difficultatem, bellicque tormentorum gravitatem nonnisi lentis itineribus progrediens totis quatuordecim diebus vix duodecim leucas Hungaricas conficere poterat, tandem vero die decima septima Septembris Cassoviam veniens, & cum suo exercitu ad sextum ab Agria lapidem subsistens, funestum de Urbe a Turcis capta nuntium accepit, nihilominus altera die viribus suis Sigismundo Batorio, & Tieffenbachio superioris Hungariæ Præfecto, ac Palfio junctis exercitum suum recensuit, numeratis in eo triginta duobus equitum, & triginta octo peditum millibus præter ducenta viginti belli tormenta. Instructa igitur acie, habitoque belli Senatu de summa rerum cum hoste decertandum sancitur, ac diæ vigesima secunda

Thuan. &  
Spond. l.c.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596. cunda Octobris prope Keresztyrum, seu Chrystrium velitationibus certamini prælusum, victore Tieffenbachio, occisisque turcarum ducentis, atque occupatis viginti belli tormentis: his feliciter peractis Sigismundus Tartarorum agmen aggressus trucidatis quamplurimis ceteros in fugam egit: jam vero in conspectu utraque acies erat, cum Transylvaniæ Princeps prosperis successibus inflatus spreto ceterorum Belliducum consilio suaderet, ut cum hostibus annis interiacentis transitum tentantibus cum toto exercitus robore decertaretur: cum igitur die vigesima sexta Octobris decem millia turcarum annem trajicerent, Cæsarei toto impetu in eos irruunt, illosque trans flumen pellunt, captisque quadraginta belli tormentis fugientes insequuntur usque ad Sultani tentorium, ipso etiam Mahomete cum paucis post ingentem suorum cladem fuga sese subducere coacto; unde Turcæ tam ingenti obruebantur pavore, ut per integrum biduum tentoria, belli tormenta, & graviora impedimenta absque ullo ferme præsidio in castris relinquerent. Enimvero penes Christianos absque controversia victoriæ summa stetit, nisi prædæ aviditas eis palmam e manibus eripuisset; cum enim victores contra Belliducum

ducum mandata dissolutis ordinibus ad deprædanda hostium castra convolarent, Assanes Cicala Bassa natione Calaber cum quadraginta armatorum millibus irruens facili brachio Christianos in fugam egit, prostravitque, cæsis eorum decem millibus, quos inter potissimi erant duo juniores Holfatiæ Principes, Plettembergius supremus Bavarorum Bellidux, Wenceslaus Popellus, Petrus Peskius, pluresque alii præcipuæ nobilitatis viri, militum tribuni, ac Centuriones: non levi tamen impendio hæc victoria turcis stetit; eorum quippe in acie plusquam triginta millia cæsa fuere: postea vero Mahometes relicto Agriæ præsidio Constantinopolim, & Maximilianus Viennam redierunt.

Sæcul.XVI.  
A.C.1596.

§. VIII.

*Continuata inter FF. Prædicatores,  
& Jesuitas dissidia circa  
gratiam.*

Interea controversiæ inter Fratres Prædicatores, & Jesuitas semper novis fervoribus invalescebant; postquam enim in Hispania ob Patris Molinæ Jesuitæ librum de concordia maxima inter Theologos discordia, gravissimaque dissidia fuerant exorta, jubente Generalis Inquisitionis Senatu plures, celebrioresque Doctores novam hujus viri doctrinæ

*Le Blanc  
Hist. Congr.  
de auxil.  
cap. 17. l. 1.  
Franc Pè-  
gna relat.  
hujus con-  
trou  
Mayer hist.  
controv.  
l. 2. c. 3.*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

doctrinam examinabant, ex quibus non modo exteri, sed etiam ipsimet Jesuitæ, atque inter eos præcipue Henricus Henriquez, priusquam ad PP. Dominicanos transierat (\*), plerasque sententias, quibus Molinæ liber respersus reperiebatur, censuris notabant, quinimo ipsummet sanctum officium Regni Castellæ Præsidente Casparo Quiroga Cardinale de harum opinionum veritate dubitavit, easque tradi prohibuit, donec severius a Doctoribus examinarentur: Postea Henricus Manriquez, qui Quirogæ fati functo in supremi Inquisitoris munere successerat, in primo suo cum Molina colloquio librum concordiæ non modo damnandum, sed & ultricibus flammis dignum pronuntiabat: nihilominus Molina hoc ipso anno librum suum Antverpiæ quarto jam prælo subjici curabat: cum autem merito sibi de graviori Inquisitionis censura timeret, Romam datis ad Claudium Aquavivam tum supremum Societatis Moderatorem literis eundem rogabat, quatenus hanc causam ad Pontificis tribunal evocari curaret. Hic ergo Henrici supremi In-

quifi-

*Molin. de  
Præde. vol.  
pag. 14.  
Es 33.  
Franc. Pe-  
gna rotæ  
Rom. dec.  
relat. con-  
trou.*

(\*) Scripsit Henriquez primam censuram ann. 1594. alteram 1597. apud Dominicanos autem paucos duntaxat Menses posito Religionis tyrocinio substitit.

quisitoris obitum, proin sedis hujus tum  
 vacantis opportunitatem in rem suam  
 vertens nullum non movit lapidem, ut  
 hanc a sua Societate ignominiam aver-  
 teret, necnon Clementem VIII. suis pre-  
 cibus eo induceret, quatenus Hispanum  
 sanctæ Inquisitionis officium præpedi-  
 retur, ne suam sententiam contra Mo-  
 linæ librum pronuntiaret: nec Claudii  
 conatus prospero caruit successu, quip-  
 pe summus Pontifex aliunde ob sinistros  
 rumores, quos Societatis fautores, præ-  
 cipue Cardinalis de Castro, & Episco-  
 pus Legionensis de Dominicanis spar-  
 ferant, eisdem parum propitius die de-  
 cima Januarii hoc anno ad supremam  
 Castellæ inquisitionem transmisit di-  
 plomâ, in quo, ne hoc tribunal suam hac  
 in causa sententiam diceret, vetuit,  
 ac præcepit, ut omnia hucusque gesta,  
 & ultro, citroque elucubrata Romam  
 transmitterentur, atque interea parti-  
 bus silentium imponeretur: cum autem  
 jam ante biennium non modo supremus  
 Inquisitionis Senatus, sed etiam ipse  
 summus Pontifex ineunte mense Julio  
 Cardinali Quirogæ demandasset, ut  
 Hispaniæ Academiâs, Episcopos, ac  
 celebriores Theologos circa ea, quæ  
 tum in Molinæ, tum Bannesii libris  
 censuris digna sparguntur, consuleret,  
 hinc juxta Pontificis mandatum præ-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1596.

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

B cete

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596

*Greg. Coronelli con-  
greg. Notarius relat.  
Congreg. die 14.  
Septemb. ann. 1605.  
Camil. Cajet. epist.*

ceteris Provinciæ Castellanæ, Tole-  
tanæ, & Arragonicæ, necnon Cordu-  
bensis, & Hispalensis Collegii Jesuitæ,  
ac Theologi ad novæ hujus doctrinæ  
defensionem plurimas lucubrationes ob-  
tulerunt, nec minus etiam Dominicani  
pro defendenda sancti Thomæ doctrina  
suas lucubrationes in uno volumine sub  
titulo Apologiæ adversus novas Moli-  
næ assertiones per Didacum Alvaresium  
anno priori die vigesima Novembris sa-  
cro Generalis Inquisitionis tribunali ex-  
hibuerunt. Has igitur lucubrationes  
unacum Academiarum, Præfulum, ac  
Hispaniæ Theologorum, necnon Hen-  
rici Henriquez Jesuitæ censuris, qua-  
rum quædam Molinæ doctrinam ab om-  
ni suspicionis labe immunem, aliæ mo-  
derandam, aliæ omnino damnandam  
pronuntiabant, Petrus Protocarerus  
Conchensis Episcopus nuper supremus  
Castellæ Inquisitor nominatus hoc anno  
die nona Octobris Romam transmisit.

§. IX.

*Protocareri supremi Inquisitoris epi-  
stola ad summum Pontificem.*

**H**icce Doctorum censuris Protocarerus  
supremus Hispaniæ Inquisitor epi-  
stolam subjecit die decima quinta Octo-  
bris Madriti datam, cujus summa  
hæc est:

Beatissi-

Beatissime Pater!

„Quod de controversiis inter Ordinis Prædicatorum fratres, & Societatis Jesu Clericos superiori anno Sanctitas vestra scripsit, ut utrique parti silentium imponeremus, id jam factum est: quod vero ad eorum sensus de tota quæstione perspiciendos, simulque aliorum doctrina præstantium, minimeque suspectorum intentias exequirendas attinebat, id nunc utriusque partis, Universitatum, virorumque Theologica Facultate magis insignium scriptis ad Sanctitatem vestram transmittendis præstamus. Illud tamen a nobis utrique, ut Beatitudini vestræ proponeremus, enim contenderunt, paratos quidem se, ut Ecclesiæ Filios decet, Apostolicæ Sedis definitionem quamvis expectare, atque se plene totos addicere: si vero ea decisio multo tempore differatur, quomodo se interea, absque Theologicarum disputationum maximo detrimento gerant, non posse prorsus conspicere: esse enim quæstiones plurimas, easque gravissimas, in quibus aut hærere ipsos, aut nusquam progredi necesse sit, aut, quo minus hanc ipsam quæstionem attingant, vitare sine mutua inter se, aut aliorum etiam offensione neutiquam possint. In his ergo rationem sibi præscribi hu-

Sæcul. XVI.

A.C. 1596.

*Exstat origin. in Bibl. Angel. Rom. vol. sign. E F.*

B 2

„millime

Sæcul. XVI.

A.C. 1596.

„millime precantur. Hoc quanti esse  
 „debeat, Sanctitas vestra pro sua sa-  
 „pientia optime judicabit, deque eo  
 „pro paterna charitate providebit. Sub  
 „idem quoque tempus Claudius Aqua-  
 „viva Societatis Præpositus Generalis,  
 „cum Molinæ causam ad Romanum  
 „tribunal evocatam intelligeret, datis  
 „literis omnes Ordinis sui Provinciales  
 „confulebat, an præfatus Molinæ liber  
 „communi Societatis nomine propug-  
 „nandus esset: ad hæc vero literas  
 „Provinciarum Rectores uno ore respon-  
 „debant hanc in sententiam: commu-  
 „nis est universæ Societatis sententia,  
 „gratiam Dei actualem, qua prævenimur,  
 „& excitamur, nequaquam esse ex na-  
 „tura sua infallibiliter prædeterminan-  
 „tem: contra oppositam ergo senten-  
 „tiam, & *contra quodcunque aliud sapien-*  
 „*tes* universo Societatis nomine certa-  
 „men suscipi poterit: In libro equidem  
 „Molinæ nihil vituperabile notatur: si  
 „tamen de eo quæstio verteretur, neu-  
 „tquam abdicandus aut deslituendus,  
 „ejusdem tamen Molinæ libri defensio  
 „non videtur digna, in qua publice uni-  
 „versus Ordo decertaret: abunde foret, si  
 „vel ipse Molina per se, vel illius Provincia,  
 „ipfiusque proprii Superiores pro ejus  
 „innocentia tuenda satagerent: quæ-  
 „dam enim in Molinæ scriptis sunt dun-  
 „taxat

„taxat verisimilia, quibus contraria  
 „a multis in Societate traduntur.,”

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1596.

## §. X.

*Novi tumultus in Hispania ex impositi  
 silentii occasione exorti.*

Nec supervacanea erat hujus Inquisi- *Hist. Congr.*  
 toris sollicitudo, nec iniqua Docto- *auxil. l. I.*  
 rum postulatio; priusquam enim ille *cap. 25.*  
 præfatas lucubrationes Romam trans-  
 mitteret, dum interea Molinæ causa  
 Romæ pendebat, jamjam impositi si-  
 lentii lex majoris contentionis fomitem  
 suppeditare videbatur; cum enim Theo-  
 logici hujus argumenti amplitudo haud  
 pateretur, quin nonnunquam Disputa-  
 tionum Præsides, vel Scholarum Ma-  
 gistri etiam sine sensu ad prohibitas quæ-  
 stiones abriperentur, aut cum nonnulli  
 intra hujus silentii fines ob luxuriantis  
 ingenii intemperiem sese contineri haud  
 paterentur, exinde res ad tantum tur-  
 barum ardorem devenere, ut Philippus II.  
 Hispaniarum Rex, Princeps pacis stu-  
 diosissimus huic malo satis periculoso  
 remedium opponere cogeretur: igitur  
 non modo Hispanicæ provinciæ Recto-  
 rem ex ordine Fratrum Prædicatorum,  
 sed etiam Patrem Garziam Provinciæ  
 Castellanæ Societatis Jesu Visitatorem  
 Madritum accersiri jussit, eis que hoc  
 anno literis ad eosdem Araniæ die

B 3

decima

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596. decima quinta Martii datis insinuari  
voluit, ut P. Didacum Yepes, qui Regi  
a Confessionibus erat, convenirent,  
cunctisque, quæ ad pacem inter utrum-  
que Ordinem reddendam eis Regis no-  
mine ab illo proponerentur, integram  
fidem adhiberent. His igitur die de-  
cima nona ejusdem Mensis Patrem Di-  
dacum adeuntibus præfatus P. Didacus  
Regis nomine eisdem significabat, Hi-  
spaniæ Regis voluntatem esse, I. ut Or-  
dinum Prælati pacis studiosos Professo-  
res suis Scholis præficiant indicta etiam  
amotionis pœna. II. Ad publicas di-  
sputationes non accedant, donec Rex  
aliter disposuerit. III. Partes litigan-  
tes a mutuis censuris abstineant. His  
ipsimet tam Prædicatorum, quam So-  
cietatis Superiores addi petebant, ut  
sub pœna anathematis eorum subditis  
injungatur, quatenus mordaces libel-  
los, siquos habuerint, comburerent,  
atque ejusmodi scripta conficere prohi-  
berentur. Huic Regio edicto Patres  
Dominicani hoc anno die decima  
quinta Aprilis, Jesuitarum vero Vi-  
sitator die vigesima octava Junii sub-  
scripsere, nec tamen propterea dissidia  
fuere extincta, sed duntaxat ad tem-  
pus sopita.

§. XI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.*Variae Clementis VIII. Constitutiones.*

**H**oc item anno Clemens VIII. Papa varias pro restauranda Ecclesiæ disciplina Constitutiones edidit, quarum prima die decima Februarii statuit, ut pro ritibus a summo Pontifice servandis liber, qui vulgo *Pontificale Romanum* vocatur, recognitus, atque emendatus typis edatur, nulloque pacto immutetur: cetera autem omnia alia Pontificalia supprimantur: II. Die vigesima tertia ejusdem Mensis præcipit, ut Concilii Tridentini decretum Sess. 25. cap. 4. de Religiosis extra claustra notorie delinquentibus exacte observetur, ubi simul mandat Pontifex, ut, si Superior talem Religiosum punire negligeret, vel impunitum extra Episcopi Diæcesin, ubi deliquit, mitteret, illum sistere teneatur: si vero non paruerit, Episcopus, ad quem confugit, hunc Religiosum punire valeat. III. Diplomate postrema Februarii die edito mitigat Constitutionem Sixti V. contra Clericos vitiose promotos. IV. Exstat alia ejusdem Papæ Constitutio die vigesimo sexto Julii edita, qua prohibetur, ne Itali extra Italiam habitent in locis, ubi liber, & publicus Catholicæ Religionis cultus non existit. V. Alia Con-

Bullar. t. 3.  
Const. 38.  
et seqq.

B 4

stitutio-



Sæcul. XVI. A.C. 1596. stitutione die tertia Septembris coercet Congregationis Camaldulensis Ordinis S. Benedicti Monachos, eorumque complices, qui hujus Ordinis officia, & dignitates ambiunt. VI. Die nona ejusdem Mensis alio diplomate statuta eduntur pro bono regimine Congregationis Fratrum S. Joannis de Deo per universam Italiam. VII. Hic idem Pontifex die duodecima Octobris novo diplomate confirmabat, declarabatque Constitutionem, quam Gregorius XIII. Papa circa reformationem Fratrum Minorum S. Francisci pro Italia, Francia, & Belgio olim ediderat. VIII. Denique postrema Bulla prohibuit Clemens, ne Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, nequidem sub quarti voti prætextu, vel indulto imposterum Fratres Minores sancti Francisci de observantia, aut alterius strictioris Ordinis Professos recipiant: declarat autem Pontifex, quod Ordo Fratrum de Mercede propter quartum votum pro religione strictioris Observantiæ, ad quam alias ejusmodi transitus est permissus, haberi nequeat.

## §. XII.

*Juvenis Condæus Princeps, ejusque Mater ad Religionem Catholicam conversi.*

Interea

Interea Henricus IV. Franciæ Rex, ut suam hæresis ejurationem sincero ex animo profectam comprobaret, conditiones, sub quarum sponfione a summo Pontifice reconciliationis gratiam impetaverat, integra fide adimplere sollicitus erat; cum autem inter eas haud infima esset, ut Henricum Condæum tum nonnisi septennem Principem Calvinistarum manibus eriperet, eapropter hoc anno promissam fidem liberare aggrediebatur: ne vero id ex Pontificis jussu fecisse, a Protestantibus crederetur, proin ob eorum repugnantiam consilii sui executionem difficiliorem redderet, hinc cum ipsis hæreticæ factionis Principibus hac de re agere constituit, ab eisque juvenem hunc Principem sibi reddi postulavit, eo majori prosperi successus fiducia, quo certius Plessius Murnajus in quadam epistola priori anno die vigesima quarta Octobris ad amicum suum data fidem fecisset, quod Pisanus Marchio, cui hoc negotium a Rege erat commissum, absque ulla hæreticorum oppositione sua jussa effectui daturus esset: nihilominus Henricus IV., ne inopinus præfati Marchionis discessus Calvinistis sinistram suspicionem ingereret, obtendebat, omnino necesse fore, ut idem ad sedandam rebellionem ob tributa exortam ad Santones decerneretur,

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

*Daniel hist.  
de France  
tom. 10.*

**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1596.**  
 neretur, simulque Catharinam Principis Condæi conjugem, ac Henrici Condæi Matrem eo fine Parisios duceret, ut illa coram Regio Senatu, prout efflagitabat, impactum sibi crimen diluere posset; hæc enim Condæum Maritum suum veneno necasse accusata, Angeriaci ab Hugonottis capta detinebatur, absdubio ab eis extremo supplicio afficienda, nisi recusata iudicium suorum auctoritate utpote Regii sanguinis Princeps nonnisi a Parisiensi Senatu dijudicari, a Rege petiisset: itaque Henricus æquæ ipsius petitioni annuens Angeriaci Governatori præcepit, ut Catharinam libertati assertam unacum juvene Principe Condæo quantocius Pisano Marchioni traderet. Paruit Governator, ringentibus licet Rupellensibus, pluribusque aliis Hugonottis: ergo ambo Parisios ad Regis aulam deducuntur, ubi præprimis Catharina coram Senatu innocentiam suam vindicari, suamque causam juxta juris præscripta dijudicari postulabat, ne duntaxat pro obtinenda impunitate Religionem Catholicam amplexa videretur: cum autem hoc anno ab impacto Conjugicidii crimine prorsus immunis edito Senatus decreto pronuntiata fuisset, demum Rothomagi hoc anno coram Medicæo Cardinale, Pontificio in Galliis Legato, hæresim

resim suam ejurabat: juvenis vero Princeps ejus Filius, cujus juventutem regendam Rex Marchioni Pisano dederat, Nicolao Fabro probatæ pietatis, ac conscientiæ Viro Catholicæ fidei præceptis imbuendus tradebatur, sub cujus disciplina in Religionis negotio tantopere profecit, ut paucis post annis cum quovis Calviniano Doctore in arenam descendere auderet, ac deinceps semper validum Catholicæ Religionis fulcrum esset.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

§. XIII.

*Maduani Ducis reconciliatio cum Henrico IV. Franciæ Rege.*

Prospero hoc successu lætissimus Rex unice eo intentus erat, ut Ecclesiæ Catholicæ reconciliatus, etiam solium, auctoritatemque suam firmaret, ac populo suo tranquillitatem tamdiu exoptatam redderet. Hanc ob rem hostes suos aut clementiæ via, aut armorum potentia ad officium revocare statuit: cum autem potentissimus adversæ factionis Princeps esset Maduanus Dux, hinc Rex cum illo pacem, cui jam anno priori trium Mensium induciis prælusum erat, præprimis juncta Petri Janini Divionanensis Præsidis opera, stabilire satagebat, veritus, ne Dux ad desperationem redactus urbes, quas adhuc

Spond. n. 9.  
Thuan.  
l. 115.  
Daniel hoc  
anno l. c.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

adhuc occupatas tenebat, Hispanis traderet, quinimo ipsemet Dux ad demerendam hanc gratiam sibi viam sterneret; cum enim ab omnibus ferme derelictus esset, missis ad foederatos literis hæc declarabat, „postquam Henricus solemniter sese Catholicæ Ecclesiæ aggregavit, causa, ob quam in eum arma sumpsi, haud ultra subsistente, illum tanquam Regem meum, ac legitimum Successorem agnoscere firmum, fixumque habeo: vos omnes igitur hortor, ut pariter ad ipsius obsequium redeatis: ego autem vestro nomine de pace cum Henrico agere paratus sum. „ Ad hæc una omnes, excepto Mercuriano Duce, consenserunt, ut Maduanus ipsorum causam coram Rege ageret.

## §. XIV.

*Reconciliationis articuli in Maduani Ducis favorem promulgati.*

*Daniel Es  
Thu. l. c.*

Propter Ducis, Foederatorumque Deputatis cum Henrico agentibus tandem pax conclusa est, ac ipsemet Rex Mense Januario edictum Folembraei conditum, ac triginta, & uno articulis absolutum in gratiam Maduani Ducis divulgari jussit sub hoc titulo: *Regis edictum de articulis Maduano Duci concessis pro Regni tranquillitate.* Ex his articu-

articulis nonnisi præcipuos adducemus; Sæcul XVI.  
A.C.1596.  
 primo igitur Rex huic Duci indulfit, ut Cabilonium, Severum, & Suesionem urbes tanquam securitatis afylum per sex annos retinere possit, attributa ejus Filio Cabilonensi Præfectura: insuper cautum, ne per integrum hoc sexennium præter Religionem Catholicam ullius alterius sectæ libertas ibidem permitteretur, aut hæretici quicunque ad Urbis munia, & dignitates admitterentur. Altero capite sancitum, ut revocatis omnibus sententiis, & decretis contra Ducem, ejusque clientes editis omnes Ecclesiastici, ac Proceres suis beneficiis, dignitatibus, bonisque restituantur, & dignitates, quas a Duce obtinuerunt, eis assertæ maneant, dummodo intra quadraginta dies fidem suam juramenti religione Regi obstringerent, atque a cujuscunque fœderis societate discederent. Sexto articulo præteritorum omnium gratia facta fuit, exceptis iis, qui Parricidii in Henricum III. commissi complices essent: cum autem hujus criminis invidia ipsum Ducem, & Monpensieriam Ducissam, aliosque Proceres petere videretur, hinc Rex in suo edicto declarabat, inspectis, ac per septem annos exceptis testimoniis comprobatum haberi, quod hi omnes ab hoc scelere immunes essent, ac ipsimet suam

suam

Sæcul. XVI. suam innocentiam coram Rege vindicassent, proin hæc exceptio ipsos minime tangeret. Insuper articulo duodecimo Rex testatum reddebat, quod Maduanus Dux cædis in Menelæum Marchionem Feræ Governatorem perpetratæ auctor non extiterit, proin nec in ipsum, nec in alios de hujus nece suspectos inquireretur, præterea vigesimo sexto capite statutum, ut Massiliensis Urbs cum ceteris Provinciæ oppidis hujus edicti gratia potiretur: fuit autem Massilia speciatim nominata, ut hujus Urbis cives ad excutiendum Caroli Casalii jugum animarentur; hic enim urbem Hispanorum imperio subicere molitus Carolus Auriam cum aliquot trimibus in portum receperat, quamvis postea Casalio cæso hæc Urbs in Guisii Ducis manus, & Regis obsequium tradita fuisset. Pariter Rex articulo vigesimo septimo declarabat, quod Mercuriani, & Aumalii Ducis postulata excipere, ac promulgatam in Aumalium mortis sententiam revocare paratus esset, dummodo & ipsi ad obsequium redirent: denique articulo vigesimo nono ad solvendum æs alienum ab eodem Maduano tempore belli contractum Rex ter centies quinquaginta aureorum millia pendere pollicitus est. Porro hosce articulos Rex in Maduani favorem sancitos

citios adeo religiose observari voluit, ut tunc, cum illorum quosdam in Sueffionensi curia nonnullis conditionibus limitari comperiret, novo diplomate præciperet, quatenus Dux gratiis sibi concessis plene frui permetteretur: hac igitur Regis liberalitate, generosique animi testificatione expugnatus Maduanus Dux ab eo temporis momento omnibus factionibus nuntium mittebat, atque obtenta Regem adeundi venia Sueffione Moncellum contendit, ibidem Henrico dexteram osculaturus, a quo etiam perbenigne exceptus, post amicos utrinque amplexus in castra ad Feram deductus est.

## §. XV.

*Nemorfius, & Joyosa Duces in gratiam Regis recepti.*

Stabilita hac Maduani Ducis reconciliatione Henricus Rex cum nullum sibi a Burgundis ultra periculum esset, facili negotio Provinciales ad officium redigere poterat, præcipue postquam Henricus Sabaudus Nemorfius, & Henricus Joyosa Duces, qui inter foederatos magnum sibi nomen conciliaverant, Regis gratiam imploraturi venerant. Ergo eodem Mense Januario itidem Folembraei speciale promulgatur edictum, vi cujus præteritorum venia utrique concessa

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

T:u. l. c.  
Spond. n. 10.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1596

cessa insuper Nemorsio promissum fuit, eum haud ultra in jus vocandum esse propter auream Caroli Calvi Cæsaris coronam, quam in sancti Dionysii templo religiose asservatam præter alia pretiosa in usus belli conflare, ac distrahi jusserat: præterea eidem indultum, ut Curia Regis jussu translata Monbrisonium revocaretur, urbiq; pristina privilegia confirmarentur, atque ejus possessiones, quas in Sabaudia finibus tenebat, Rex in suum patrocinium susciperet, ipse vero Dux generalem Arvernorum, Segusianorum, & Velauriorum administrationem retineret, ac particulares harum Urbium gubernatores in suo munere confirmare posset, dummodo hi quantocius sese jurata fide Regi submitterent. Ceterum Joyosa speciali edicto Francia Marescallus, ac supremus Occidania Vicarius nominabatur, addita declaratione, quod hic Dux omnia, quæcunque tempore belli egisset, non nisi ex Religionis Catholicæ Zelo fecisset, nec unquam aliud præter fidei studium in mente habuisset: denique Tolosa, aliisque urbibus, quas Joyosa in Occidania occupaverat, in Regis obsequium redeuntibus sancitum est, ut Senatus, qui ad Saracenorum castrum secesserat, Tolosam reverteretur, Protestantes vero prope Tolosam cætus

tus suos celebrare, aut Alethi, Auriaci, & Montesquii convenire prohiberentur, ex adverso autem Religionis Catholicæ cultus in omnibus locis, ubi antea eliminatus est, præprimis restauraretur.

## §. XVI.

*Albertus Austriacus Cardinalis a Philippo II. Belgii Gubernator nominatus.*

Sub idem tempus benignior pariter in Belgio tranquillitatis aura spirare videbatur; spes enim affulserat, quod Mauritius Arausionensis Principis frater, ac Belgii Ordines ad pacis consilia propensum præferrent animum: quocirca Philippus II. Hispaniæ Rex, cum Ernestus anno priori Bruxellis decessisset, Albertum Cardinalem ejus Fratrem in Belgii Gubernatorem nominabat, eique Philippum Guilielmi Nassovii Filium Arausionensem Principem, quem Rex per multos jam annos captivum detinuerat, libertati redditum, ac velleris aurei torque donatum, itineris socium adjungebat, spe fretus, quod ejus opera tumultus in Belgio penitus sopirentur, cum Belgæ hujus Principis Patrem tam propenso olim favore persecuti fuissent: igitur Albertus ex Hispania in Italiam delatus, quamprimum Genuam appulerat, mox præfatum

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

C Arau-

Sæc. XVI.  
A.C. 1596.

Thu. l. 114.

Sæcul. XVI. A. C. 1596 Arausionensem Principem ad summum Pontificem ablegat, ut ipsum excusaret, quod ipsemet Romam veniens debitum Sanctitati suæ obsequium non deferret, cum a Philippo Rege suo quantocyus crescente per moram periculo in Belgium contendere iussus esset. Enimvero Albertus mox Genua in Sabaudiam deflexit, superatisque alpibus, necnon recenti militia ubique conscripta exeunte Mense Januario Lucemburgum venit, obviam procedentibus Provincia- rum Præfectis, Feriæ Duce, atque Ernesto Bavaro Coloniensi Archiepiscopo: tandem vero die undecima Februarii cum ingenti Procerum comitatu, ac magnifica prorsus pompa Bruxellas ingressus est.

## §. XVII.

*Belgii Ordinum molimina ad præpe- diendum Arausionensis adventum.*

*Thu. l. c.*  
*Fanson in*  
*complem. M.*  
*Campuna de*  
*bello Belg.*

Interea Belgii Ordines vix comperto Philippi Nassovii Arausionensis Principis reditu mox ad eum literas dabant, in quibus recuperatam ei libertatem gratulantes dissuadebant, ne in Belgium pedem inferret, sed potius opportunum præstolaretur tempus, quo eorum, qui ipsum sincere diligunt, opera, ac fide publica tutus in fœderatas provincias venire posset, cum ægerrime ferrent, quod

quod libertatem illis debere teneretur, Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.  
 qui occiso ejus Patre per tot annos patriam opprefferant, quapropter etiam favorem ab ipsis obtentum suspectum haberet: verumtamen Arausionensis ad has Ordinum literas die prima Februarii rescripsit, quod eorum gratulationem, continuatumque favorem memori animo recoleret, mutata autem rerum, temporumque vicissitudine mutuam eis benevolentiam rependere præpediretur: de cetero persuasi essent, quod recuperatæ libertatis beneficio ad communem patriæ salutem, & ad finiendas in Belgio calamitates, tranquillitatemque recuperandam uti decrevisset, spe fretus, Deum eandem cunctis mentem inspiraturum, ipsisque eandem largiturum gratiam, qua non modo viam mandatorum ejus strenue percurrerent, sed & æternam aliquando gloriam consequerentur. Paulopost Albertus quoque datis ad Mauritium, & fœderatos Ordines literis adventus sui causas exponens petebat, ut delegatos de pace secum acturos decernerent: idem quoque Arausionensis Princeps epistola ad Mauritium fratrem suum data efflagitabat, seque pacis conciliandæ arbitrum offerebat: cum autem Belgii Ordines ejusmodi colloquium recusarent, atque ipsi Arausionensi petitas securitatis literas

Sæcul. XVI.  
A C. 1596.

denegarent, Albertus cuncta ad bellum necessaria parare cogebatur; vicissim vero Belgii Ordines die quarta Aprilis severum oppido edictum promulgabant, quo indicta etiam capitis pœna hæc præcipiebantur. I. Inter populos Philippo II. Hispaniarum Regi addictos, & urbes fœderatas nullum colloquiorum, literarum, vel nuntiorum commercium fit, nec ullus ultra sex menses in regione hosti subjecta moraretur absque Mauritiï licentia. II. Omnes fautores perniciosæ, & sanguinariæ Jesuitarum sectæ (ita sonant edicti verba) fœderatis provinciis penitus exturbentur, eisque aditus omnis præcludatur. III. Nullus Jesuita, nec ullus apud eos studiis vacans hæc provincias, etsi publicæ securitatis literis munitus esset, accedere permittatur. IV. Intra bimestre omnes Jesuitæ Reipublicæ finibus egrediantur, nunquam reversuri, nisi ejurato Hispaniarum Regis obsequio. V. nullus eorum Gymnasia frequentet, nec ullus in Academiis Hispaniæ imperio subjectis promoveatur, indicta decem millium florenorum multa. VI. Illi, qui interposito Catholicæ fidei defendendæ juramento ad literarios dignitatis gradus evehantur, ad nulla in Provinciis fœderatis officia, & munera publica admittantur: si vero jam nunc promoti

promoti sunt, a jurejurando intra femestrem se absolvi curent, ejusque loco sacramento fidelitatis erga patriam sese obstringant. Ex hoc edicto Albertus Archidux satis probe cognoverat, quod foederati ad arma capeffenda animum magis, quam unquam alias, proclivem foverent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

## §. XVIII.

*Fera ab Henrico Galliarum Rege  
obseffa.*

Ergo Archiduci pugnandum erat contra duos hostes, Foederatos scilicet intra Belgium velut intestinum bellum parantes, & contra Henricum Galliarum Regem, qui jamjam ditionem Hispanicam infestans, ut Cameracensis Urbis a Philippo II. occupatæ jacturam compensaret, suadentibus Bironio, & Sanlucio Feram Picardiæ urbem obsidebat, tamque arcte cinctam tenebat, ut interclusa advehendi commeatus opportunitate infractam Præsidiariorum fortitudinem famis violentia superaret: verum Albertus ad iteratas Alvari Osorii Governatoris sollicitationes Georgio Bastæ Epirotæ magni nominis Belliduci tempestive negotium dabat, ut cum delectis decem Equitum turmis maximam, quam possset, tritici copiam urbi obseffæ inferret. Basta die undecima

Gallutius  
de bello Belgico l. 8.  
pag. 311.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

cima Martii Duaco Castelletum magno silentio contendit, ac inde noctis beneficio usus trajecto Somona fluvio longius progrediebatur, donec sancti Quintini oppido ad dexteram relicto postridie matutino tempore die decima tertia ejusdem Mensis Feræ urbi appropinquaret, Gallis, qua parte hostis accederet, ob caliginis densitatem ignorantibus: interea vero percepto, uti convenerat, signo Oforius cymbas ad id præparatas per Æsiam fluvium emit, in quas, quicquid frumenti per Equites allatum est, depositum intra urbem deportatur: Balta vero suscepto Guisiam versus itinere solertiam Gallorum, qui Sanguinitini viam obsidentes eidem reditum intercludere parabant, elusit, atque exiguo suorum dispendio Cameracum sese recepit.

## §. XIX.

*De Caletana obsidione actum.*

Thu. l. c.  
Gallut. l. c.

Cum hujus annonæ subsidium ægre ad duos menses sufficeret, atque aliunde Henricus Rex auctis oppugnantium viribus, ac tentata, incassum licet, urbis inundatione obsessos morbo, ac fame ad extrema redactos cerneret, Albertus quamdam Gallicæ ditionis urbem oppugnare statuit, ut hac ratione vel Rex a Feræ obsidione averteretur, aut

aut hujus jactura alterius Philippo Regi Sæcul. XVI.  
A.C.1596.  
 magis proficuzæ expugnatione compen-  
 faretur: inter ceteras vero urbes præ-  
 cipue Caletum præplacuit Christiano  
 Savinio Rosnæo supremo castrorum  
 Præfecto, qui ea, qua rerum experien-  
 tia pollebat, hujus urbis expugnatio-  
 nem præ cæteris suadebat, eoquod ob-  
 portus sui opportunitatem Angli, Galli,  
 & Fœderati Belgæ copias auxiliares  
 sibi mutuo ex hac urbe ultro, citroque  
 deportarent, adeoque una hac urbe  
 capta de tribus simul hostibus victoria  
 reportaretur: insuper hujus expeditio-  
 nis facilitatem, rationesque exponens,  
 præprimis ad rem feliciter absolvendam  
 commendabat in deliberando silentium,  
 atque in exequendo celeritatem. Ergo  
 Albertus Archidux eidem Rosnæo ope-  
 ris perficiendi curam mandat, ac  
 sparso rumore, quod Feram obsidione  
 liberare vellet, ad diem primam Apri-  
 lis totum exercitum Valencenas Han-  
 noniæ urbem convenire jubet, ipse vero  
 trigesima Martii die Bruxellis profectus,  
 lustrato exercitu viginti partim equi-  
 tum, partim peditum millia, & quin-  
 gentos recensabat: porro ut Gallos fal-  
 leret, Landrianum cum valida legione  
 Montrolium versus, oppidum prope  
 Feram situm, Georgium vero Bastam  
 in agrum Cameracensem immisit, qua



Sæcul.XVI  
A.C.1596.

itinerum diversitate, sparsoque rumore  
deceptus Francorum Rex Albertum ad  
Feram obsidione liberandam recta ten-  
dere suspicabatur, quapropter cum no-  
vem peditum, ac tribus equitum mil-  
libus Feram rursus proficiscitur, castra-  
que idoneo loco munit: attamen Al-  
bertus cum animos hostium ambiguo  
metu suspensos teneret, derepente  
Rosnæo imperat, ut delectis copiis ad  
sancti Audomari oppidum summa ce-  
leritate, ac silentio sese conferret, qui  
etiam adeo propere Caletum advolabat,  
ut prius agrum Caletensem teneret,  
quam ejus milites, nedum hostes, hanc  
profectionem suspicarentur: ubi mox  
etiam nullo ferme negotio Niuleti, seu  
Novæ - Brigæ pontem, & Risbanam  
turrim occupabat, & sic Caletensibus  
terra, marique aditum intercludebat,  
Galliarum Rege nimis tarde cognito er-  
rore ad opem suis ferendam accurrente,  
ipsisque Hollandis cum classe sua, at-  
que Anglicanis navibus frustra portum  
intrare molientibus.

## §. XX.

*Franciæ Rex ab Elisabetha Angliæ  
Regina suppeticas efflagitans.*

*Rapin Thoi-  
ras hist.  
d' Angl. l.17.  
tom. 7.  
p. 48 63  
450.*

Henricus IV. Galliarum Rex cum hu-  
jus urbis, portusque adeo oppor-  
tuni jacturam ægerrime ferret, hunc-  
que

que locum, quem vulgo frœnum, & Sæcul. XVI.  
 Franciæ clavem appellant, conservandi A.C. 1596.  
 vires, ac media haud haberet, ab ex-  
 teris auxilia efflagitare compellebatur:  
 quocirca non modo per San-Pauli Co-  
 mitem foederatos Ordines, ne tam vi-  
 cini oppidi periculum negligenter, mo-  
 nebat, sed præcipue Nicolaum Har-  
 læum Sancium in Angliam ad Elisa-  
 betham Reginam ablegabat, qui classem  
 promissam, jamque in Doveræno portu  
 paratam prompto cursu ad Caletensem  
 urbem obsidione liberandam advehi sol-  
 licitaret: verum hic ecquidem die vi-  
 gesima Aprilis Londinum venerat,  
 Regina tamen, cum Hispani jam anno  
 priori Corisopoti in Britannia excen-  
 sionem fecissent, suas copias hoste re-  
 gnum suum jamjam invadente in Gal-  
 lias transmittere, aut ad solius Hen-  
 ricus utilitatem sibi duntaxat relicto ex-  
 pensarum onere bellum Hispanis inferre  
 minime cogitabat: quocirca post frivo-  
 las excusationes tandem Franciæ Ora-  
 torem ita alloquebatur: „prævideo, de  
 „Caletto, nisi opem feram, actum esse,  
 „nec tamen deero, si Rex hanc urbem  
 „mihi afferere voluerit, nec dubito,  
 „quin potius eam meæ, quam Hispa-  
 „norum potestati subiectam esse velit:  
 ad hæc reposuit Sancius: „volumus,  
 „ut nec nobis, nec tibi sit, malumus  
 C 5 „enim,

*Discours de  
 Sanci 3. vol.  
 de Mem.  
 d'Etats.*

Sæcul. XVI. „enim, ut Hispanis, quam Anglis ce-  
A.C. 1596. „dat.„ Ad hæc Regina, cum ob in-  
 clinatas Franciæ res Henricum ad pa-  
 cem cum Hispanis ineundam compelli  
 vereretur, Sidneum Anglum ad Regem  
 ablegabat, qui eidem significaret, quod  
 Regina, ne Caletum ab Hispanis occu-  
 paretur, omnem operam impendere ve-  
 lit, ea tamen lege, ut Urbs Anglico  
 sceptro asserta permaneret, donec Rex  
 pecunias ipsi jam dudum mutuo datas  
 solvisset. Percepto hoc Elisabethæ re-  
 sponso Henricus ira commotus reposuit:  
*si morsum declinare non possum, malo mor-  
 deri a leone, quam a Læna;* porro his  
 verbis significare voluit, se æquiore  
 animo passurum, ut a Philippo Rege,  
 quam ab Elisabetha fœmina Caletum spoli-  
 aretur; cum ille hostem ageret, hæc  
 vero amicam simularet: nihilominus  
 paulopost Bullionium Marescallum in  
 Angliam misit, eique Mense Majo ad  
 arma inferenda, & repellenda fœderis  
 cum Regina pangendi plenam dedit po-  
 testatem. Annuit quoque Elisabetha,  
 cumque Bullionius gravi sermone ex-  
 posuisset, quod Hispaniæ Rex Anglis,  
 Gallis, & Batavis seorsim pacem eo  
 fine offerret, ut unam partem ab altera  
 averteret: hinc maturato fœdere præ-  
 primis cautum, ne ullus ex fœderatis  
 cum Hispaniæ Rege de pace ageret abs-  
 que

Dispositio  
 Joh. p. 1596  
 de Henr.  
 & Franc.

que ceterorum consensu, vel saltem id non fieret, quin dudum de eo admoniti fuissent: sancitum præterea, ut Elisabetha pro Normaniæ, & Picardiæ defensione quatuor armatorum millia, & totidem Franciæ Rex, si Angliæ regnum infestaretur, suppeditaret: cum autem hic idem probe cognosceret, quod Elisabetha duntaxat hoc foedus privati quæstus studio ratum haberet, hinc vicissim & ipse Reginæ suppetiis duntaxat tamdiu utebatur, donec bello, quod male consultus Hispanis intulerat, honorifice sese expedire posset: nihilominus die vigesima sexta Maji Meloduni, ac postea die decima nona Octobris Rotomagi in Ecclesia Abbatiae ad sanctum Ocrenum præsentem Gilberto Talboto Scheresburiensi Comite Angliæ legato se hoc foedus integra fide servaturum spondit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

§. XXI.

*Caletum ab Hispanis occupatum.*

Dum inutilibus hisce foederum consiliis tempus terebatur, interea Albertus Archidux die decima quinta Aprilis Curguetum Caleti suburbium aggressus, Hollandos inde expulsos in arcem secedere compulit: tantus vero exinde terror in cives effundebatur, ut hi Sanpaulium Vidossanum Governatorem ad pangendas octo dierum inducias

Thu. 83  
Gallut. l.c.  
Daniel  
pag. 147.  
83 149.  
Spond. ad  
hunc ann.  
num. II.

Sæcul XVI. A.C. 1596. ducias cogerent, quibus indultis, e-  
 lapsoque hoc tempore omnino de de-  
 ditione actum, vi cujus capto jam sub-  
 urbio ipsa Urbs Alberto Archiduci tra-  
 debatur, initis his deditiois conditio-  
 nibus. I. Gubernatori cum Præsidia-  
 riis sese ex urbe in arcem recipere lici-  
 tum sit, relicto tamen belli apparatu,  
 atque annona, quæ tum in oppido fo-  
 ret. II. Idem Gubernator tantum per  
 sex dies in arce moretur, expectatis in-  
 terim Gallorum suppetiis, quibus intra  
 hoc spatium non adventantibus, arce  
 etiam Alberto tradita cum suis Bono-  
 niam transmigret: Tertio autem arti-  
 culo utrique parti concedebatur, ut ag-  
 geres excitare, aliaque munimenta tam  
 pro se, quam contra hostem perficere  
 licitum esset, eapropter haud minor e-  
 rat in tuenda arce obsessorum solertia,  
 quam obsidentium in loci expugnatione  
 obfirmata violentia, ubi ipsa etiam for-  
 tuna impigro Gallorum labori quadan-  
 tenus obsecundare videbatur; quippe  
 Rex Caletto jam ad extrema redacto sub-  
 venire intentus Bertrando Patrassio  
 Campaniolo negotium dabat, ut cum  
 trecentis lectissimis militibus arcem in-  
 trare tentaret, qui etiam desperatione  
 audaciam acuate rem aggreditur, ac  
 duabus ante lucem horis decrefcente  
 maris æstu incolumis cum suis in arcem  
 penetrat,

penetrat, militaribus hispanorum excubiis aut sopitis, aut ignavia torpentibus. Archidux re comperta vehementer exacerbatus, amoto Trevicæno Marchione, qui hisce excubiis præerat, in arcem tympanistam emisit, ut is jam appetente sexto induciarum die deditionem peteret: repulsa autem accepta Albertus vim extremam sibi tentandam ratus, die vigesima quarta Aprilis tam acrem, ac diurnam murorum concussionem fieri præcepit, ut ea pars, quæ quadam fossa defendebatur, tormentorum impetu disiecta obsessoribus aditum aperiret, obsessi tamen non minori roboris fiducia hostem propellentes multo vulnere virtutem Hispanicam plectebant: tandem vero, Mendoza Velasco, & Barlota Ductoribus, Hispani obfirmato ad vincendum animo accensi, nulloque discrimine terri per concussi muri ruinas irrepunt, & periculorum contemptu longius abrepti victricia signa mœniis imponunt, atque unius horæ spatio arcem expugnant, civibus obviis, ac præsidiariis in primo irrumpentium victorum furore aut trucidatis, aut promiscuo fugientium impetu prostratis: illis vero, qui abjectis armis ad templum confugerant, Albertus vitæ gratiam fieri iussit, promeritam violatæ fidei ultionem cohibente

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

bente loci Religione. Porro ex Gallis Belliducibus præter paucos alios capti erant Campaniolus, aliusque tribunus nomine Niger, cæsis illorum octingentis, quos inter Vidossanus Gubernator tormenti ictu discerptus periit: ex Hispanis vero centum, sive ut alii scribunt, ducenti interempti sunt, ex quibus præcipui fuere Fregnanus Sessus Comes, & Vidus Ubaldus Paciotus: interim præter incredibilem annonæ copiam tam opima victori præda cedebat, ut illius pretium alii ad quingenta millia, alii autem ad millies millia aureorum ascendisse tradiderint: inventa quoque fuere quadraginta tria belli tormenta, quæ Henrici VIII. Angliæ Regis insignibus notata erant. Hollandi, ne Francicam cladem inultam relinquerent, Brabantiam milite vacuam invadunt, ac exeunte Mense Aprili prope Bruxellas, Mechliniam, Antverpiam, ac Namurcum populabundi excurrunt, multisque captivis, atque ingenti præda onusti domum revertuntur: interea vero Albertus continuato victoriarum cursu Harnam, & Guinam urbes unacum aliis propinquis arcibus deditioe accepit.

§. XXII.

*Ardea Gallis ab Archiduce erepta.*

Nec

**N**ec vincendi ardor, quo Alberti Au-  
 striæ Archiducis animus flagrabat, Sæcul.XVI.  
A.C 1596.  
 harum urbium expugnatione satiabatur:  
 quapropter Ardeam oppidum situ, & Rapin Thoi-  
ras lib. 17.  
pag. 487.  
 arte, ac valido præsidio munitum, ac  
 tribus Leucis Caleto difsitum suadente Thuan. l. 16.  
Daniel  
pag. 150.  
Harræus  
annal. t. 3.  
ad hunc  
ann. p. 516.  
 Rosnæo obsidere statuit. Ergo die sexta  
 Maji urbem cingit, & suburbium, quod  
 Boloniam respicit, occiso Barlotta stre-  
 nuo hispanorum Belliduce vi occupat,  
 quod tamen Borbonius Montacutus ex  
 Lavedensium Vicecomitum genere or-  
 tus recuperabat non sine magna suorum  
 clade; incautius enim erumpentes, cum  
 diutius sese detinerent, demisso forte  
 rostro ad urbem reverti præpediebantur,  
 ad unum omnes misere trucidati; insuper  
 Montlucius apud Gallos magni nominis  
 Bellidux denuo e Suburbio die decima  
 nona Maji erumpens sclopeti ictu trucidatus  
 est, unde Galli Suburbium denuo Hispanis  
 cedere coacti sunt: demum vero tota armorum  
 vis in urbem conversa est, eaque die vigesimo  
 ejusdem Mensis triginta quatuor belli  
 tormentis, aliisque quatuor gravioribus  
 Caleto advectis verberari cœperat, obsessis  
 crebra eruptione, ac continua tormentorum  
 explosione hostium impetus adeo strenue  
 eludentibus, ut hujus urbis expugnatio  
 Hispanis magno stetit dispendio, nisi  
 dissensio inter Gallos



Sæcul. XVI. Gallos Belliduces exorta, deditio-  
A.C. 1596. expectatione feliciorē maturasset;  
 quippe Franciscus Belinius Comes,  
 cum tempestivum a Rege auxilium sub-  
 mitti desperaret, ac repetitam suorum  
 cladem animo recoleret, convocato  
 belli Senatu urbem honestis conditio-  
 nibus dedendam censuit, eoquod ad  
 diutius sustinendam obsidionem pulvis  
 tormentarius deesset: verum huic con-  
 silio vehementer obstitit Anneburgius  
 Gubernator, affirmans, magnam ad-  
 huc pulveris copiam superesse; illum  
 enim clam a se ad magis necessarios  
 usus fuisse reservatum. Ad hæc Beli-  
 nius ira excandescens, a Gubernatore  
 militaris disciplinæ leges violatas aje-  
 bat, eoquod sibi tanquam supremo Pro-  
 vinciaæ Præfecto bellici apparatus co-  
 piam celasset. His dictis indignabun-  
 dus recessit, moxque tubicine ad Al-  
 bertum misso de deditio-  
 nis conditionibus agi petiit, renitentibus licet cete-  
 ris Belliducibus, eumque vel ignaviæ,  
 vel proditio-  
 nis postulantibus: nihilomi-  
 nus Belinius cum Hispanis in hæc  
 leges die vigesima tertia Maji convenit.  
 I. Præsidarii omnes cum armis, im-  
 pedimentisque omnibus, quæ humeris  
 suis deferre possent, explicatis signis,  
 tympanisque pulsatis urbe excedant.  
 II. Civibus vel remanere, vel alio mi-  
 grare

Sæcul. XVI.  
A.C.1596.

grare licitum sit, siqui tamen remane-  
rent, supremum Principem suum pro-  
fiteantur Hispanum, suamque ei fidem  
juramenti Religione devoveant. III.  
Infirmi, fauciique plaustris evehantur.  
IV. Denique majora belli tormenta cum  
toto apparatu in urbe relinquuntur.  
Firmatis hisce pactis Ardea Hispanis  
cessit, qui intra unius anni spatium jam  
sextam Gallis urbem eripuerant; alte-  
ra autem die Bellinius una cum Anne-  
burgio, ac circiter mille ducentis Gal-  
lis Harlinum in Dominicæ Ascensionis  
die deducti, Feram versus iter arri-  
puere, solo Mansirmo propugnaculum  
quoddam adhuc strenue propugnante,  
e quo etiam nonnisi admotis belli tor-  
mentis depelli potuit: Bellinius vero,  
cum olim foederatis arctissime junctus  
esset, de perfidia suspectus in jus vo-  
cabatur: verum nobilium foeminarum  
patrocinio tutus nonnisi Picardiæ præ-  
fectura exuebatur, quinimo postea non  
modo Equestris Ordinis torque, sed e-  
tiam pluribus, iisque perhonorificis  
dignitatibus augebatur: pridie autem,  
quam Ardea caperetur, Henricus Fran-  
ciæ Rex Feram in deditionem accepit,  
cujus tamen urbis jacturam Albertus  
eodem hoc anno compensabat Hulsten-  
sis Urbis expugnatione; quippe die de-  
cima octava Augusti post unius Mensis

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

D obsi-

Sæcul. XVI. A.C. 1596. obsidionem Hulstenses pactis conditionibus sese Philippi Regis obsequio dicarunt: in hac tamen obsidione Rosnæus Bellidux victoriis jam assuetus, cum in Velasii tentorio ceteris tribunis mandata daturus scriberet, tormenti globo caput ejus feriente trucidatus est, non sine ingenti totius exercitus luctu; cum ejus sagacitati, consiliis, ac fortitudini pleræque ab Hispanis reportatæ victoriæ in acceptis referrentur.

## §. XXIII.

*Medicæus Cardinalis a Papa Legatus in Franciam decretus.*

*Thu. l. 116.* *pag 758* *Daniel l. c.* *pag. 153.* *Spond. n. 15.* Occupata Ferensî Urbe Henricus IV. Franciæ Rex nuntium acceperat de Pontificii Legati adventu, unde rupta omni mora Lutetiam reverti statuit, ut illum in sua Metropoli excipere posset. Erat is Alexander Medicæus Florentiæ Archiepiscopus, atque ob id vulgo dictus Cardinalis Florentinus, Cosmæ magno Etruriæ Duci sanguine junctus, qui cetera, Vir ingenii candore, pietate, prudentia, longaque rerum experientia celebris, Henrico Regi percharus erat, eoquod ab Hispana factione alienus, res Gallicas temper summo studio procurans, ceteris ardentius Regis absolutionem Romæ promovisset: hunc igitur Clemens Papa Sedis

Sedis Apostolicæ Nuntium in Franciam ablegabat, eo fine, ut conditiones a Regiis Deputatis promissas, & jurejurando firmatas præfens exigeret, & reconciliationem Romæ factam in Gallis sanciret, hocque pacto foederatis, qui adhuc in armis erant, per suam præsentiam omnem rebellandi obtentum præriperet: qua in re summus Pontifex luculento prorsus argumento testatum fecit, quod perfectam hujus regni cum sacra Sede unionem sincero animo desideraret; quamvis enim nonnihil inique ferret, ac sæpius de Franciæ Rege questus esset, quod anno priori promissam legationem tamdiu distulisset, nihilominus Henricum prævenire voluit, contentus excusatione Ossati Cardinalis, qui Regem Farenli obsidioni, necnon Picardiæ finibus contra Hispanos tuendis intentum obtendebat: Insuper Pontifex, ut magis prosper huic Legationi successus arrideret, de præscribendis solemnitatibus, quibus tam nobilis Legatus in Francia exciperetur, parum sollicitus, eundem nonnisi muneris sui diplomate die quinta Aprilis dato munitum in Gallias proficisci jussit. Legatus hic Roma pro ectus, in itinere summis ubique honoribus a Regni Gubernatoribus, & Magistratibus exciebatur, atque a Francisco Bona Di-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

*Vid. Lib.*  
*CLXXXI.*  
*S. 37.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

guerio, quamvis Calvinista, in Regni finibus magno comitatu, & pompa Lugdunum deductus, a Metensi, Cœnomanensi, & Ebroicensi Episcopis, necnon a Gondio Cardinale, quos Rex obviam misit, salutabatur: postea vero Mense Julio Castrum usque, quod oppidum prope Montleherium octava Leuca Parisiis distitum est, a Philiberto Guichio Provinciæ Præside, & Gilberto Chaferano, aliisque Præfectis solemnè pompa deducebatur, ad quem locum ipsemet Rex veredariis equis contendens Legatum nondum regali apparatu, sed duntaxat familiari salutatione honorabat, unacum primariis Regni Principibus, & Proceribus, quos inter etiam ipsum Meduanum Ducem adesse voluit, ut Legato testatum redderet, quanta comitate, & fiducia cum iis, quos paulo ante infensissimos Fœderatorum Duces expertus erat, facta reconciliatione uteretur.

## §. XXIV.

*Legatus Parisiis regali pompa exceptus.*

*Thu. Daniel*  
*& Spond. l. t.*  
*Ciacon t. 4.*  
*vit. Pontif.*  
*pag. 72.* Postquam Cardinalis aliquamdiu Castri substiterat, tandem iter Parisios versus prosequeretur, cumque urbi propius accederet, Rex Henricum Bourbonium Condæum octo annorum puerum,

rum, ac primum Regiæ stirpis Principem cum magno Procerum comitatu obviam misit, ut hunc legatum Regis nomine salutaret. Legatus die vigesima quinta Julii solemnem ingressum in urbem celebrabat, præeuntibus Condæo, & Montpensiero Principibus, illumque usque ad templum sancti Jacobi comitantibus: ibi autem pro more Clerus, Senatus, Universitas, ceterique urbis Ordines ipsum salutaturi adveniant, nomine Senatus perorante, ac prosperum in Gallias adventum eidem gratulante Achille Harlæo Præsidente, cui Legatus paucis verbis hæc respondit: „a Communi omnium Christianorum Patre benigno, ac pacifico „in Gallias missus sum, & si vel unquam „turbatis temporibus Legatorum adventus forte molestus accidit, nunc „& in posterum de prospero rerum eventu, ac paterna Pontificis sollicitudine cunctos, qui Regni salutem cupiunt, lætaturos spero.„ His dictis post prandium Legatus sub serico rubri coloris umbraculo a præcipuis Urbis civibus delato ad ecclesiam Beatissimæ Virginis deducebatur, comitantibus eum utroque Regii sanguinis Principe, Prælati, ceterisque urbis ordinibus. Ceterum magis adhuc magnifica fuisset hujus ingressus solemnitas,

Sæcul.XVI.  
A.C.1595.

Sæcul. XVI  
A.C. 1596.

tas, nisi pestilentiae vis, quæ tum Parisinam urbem depopulabatur, promptum Regis, Legatique ex hac Metropoli discessum suafisset.

## §. XXV.

*Apostolici Legati mandata in Senatu exhibita, ac tabulis inserta.*

*Tha. 83  
Daniel. 1 c.*

Jam antea die tertia Julii Henricus Rex Abbatis-villa, ubi tunc in castris agebat, regio diplomate misso Parisiensi Senatui præceperat, ut more in Galliis recepto mandata Florentino Cardinali a Pontifice data promulgari, atque ad acta referri curaret, quatenus exinde Clementi Papæ notum fieret, quod ad obsequium sacrae Sedi debitum palam testificandum nec ipse, nec ejus subditi quicquam prætermittere velint: quamprimum igitur hæc mandata, seu Facultatis Legato concessæ literæ ad Senatum fuerant delatæ, mox perorante Ludovico Servino Regis Advocato Senatus præcepit, ut tam diploma regium, quam Pontificis literæ promulgatæ tabulis infererentur, ea tamen lege, vi cujus ampliora mandata, Legato a Papa concessa restringerentur ad conditiones alias apponi solitas, simulque is duntaxat, quamdiu Regi placuerit, legatione fungi posset, ea vero functus legationis suæ acta Regi traderet,

ret, ac denique promulgatio fieret absque Tridentini Concilii approbatione, & Bonifacii VIII. Constitutionum mentione. Hæc Senatus sententia levi altercationi ansam dederat; verum moderatione Legati, Regisque benevolentia effectum est, ut res ad utriusque nutum mox componeretur; quippe Henricus, ut injuriam Legato apposita hac conditione illatam deleret, die vigesima sexta Julii hæc Pontificis mandata absque ulla restrictione, seu apposita conditione recipi, & promulgari iussit, eo duntaxat decreto Curix actis inscripto, vi cuius observarentur eæ conditiones, quæ ad conservandas Regis, Regni, atque Ecclesiæ Gallicanæ libertates, privilegia, & jura pro antiquo more semper in ejusmodi promulgationibus appositæ fuerunt.

## §. XXVI.

*Maxima Legati moderatio.*

Ceterum prudentissimus hic Cardinalis tum sexagenarius Papæ mandatis, ac facultatibus sibi concessis cum summa moderatione toto, quo in Gallis versabatur, biennio utebatur; sedulo enim a Clemente Papa admonitus erat, quatenus in legationis suæ exercitio duntaxat eo intentus esset, ut Regem ad ea, quæ pro obtinenda abso-

Sæcul. XVI.

A. C. 1596.

*Daniel**pag. 154.**Thu. hist.**l. 116.*



Sæcul. XVI  
A. C. 1596

lutionis gratia promiserat, integrâ fide exsolvenda urgeret, simulque præpediret, ne novos in Regno tumultus fœderati excitarent, cunctique adhuc dum eorum partibus adhærentes ad obsequium legitimo suo Regi debitum revocarentur, eapropter Legatus ita Sedis Apostolicæ jura tuebatur, ut nunquam in Regem, vel Regni libertates, ac privilegia vel minimum attentaret, sed cautissime omnium offensionum occasiones publice, & privatim declinans sibi Regni Curias obstringere, ac subinde denuo pullulantibus fœderatorum reliquiis sese magis adversum, quam propensum exhibere satageret, cujus rei speciale monumentum reliquit, dum ex Aulæ Proceribus, & Magistratibus nonnulli vel Religionis Zelo, aut indignationis impetu accensi, vel a factionis Ducibus incitati sæpius apud Legatum quererentur, quod plurima non sine magno Religionis Catholicæ detrimento partim ignava dissimulatione, partim aperto rerum sacrarum contemptu fierent, ac præcipue Catharina Regis Soror in suo Palatio, quod hodie Suesionense appellatur, publicos hæreticorum cœtus, ac sermones passim confluentibus non modo domesticis, sed etiam exteris haberi permetteret: verum ad cunctas hæc querelas Legatus

tus

tus aliquamdiu tempori cedendum ratus hæc in responsis dabat : „ad procurandam regni pacem, tranquillitatem, que obtinendam a summo Pontifice in Franciam missus sum; absque ea enim magis adhuc religio periclitatur: de cetero tam Pontifex, quam ego de sincera Regis conversione, ejusque erga veram fidem sincero affectu adeo plene persuasi sumus, ut de Religione ab hæresis veneno asserenda nullatenus dubitare liceat: cuncta ergo ejus prudentiæ relinquenda sunt, ac firmiter sperandum, quod Rex, qui Deo adjuvante adversus tot hostes invictus extitit, etiam veræ Religionis inimicos reprimere possit.„ Hac prudenti moderatione Legatus Cardinalis plus Religioni in Gallia profuit, quam plures alii ex intempestivo ardore suo sperare potuissent, præprimis enim præfata Catharina Tremolia Condæi Mater, Regisque Soror ad ejusdem Legati hortationes non modo Protestantibus conventicula agendi libertatem interdixit, sed etiam ipsamet jam prius ejurata sua hæresi in gremium Ecclesiæ ab eodem Cardinale Legato publice recipi voluit; ipsemet quoque Rex die prima Augusti extra Parisinam urbem apud sanctum Maurum hunc Cardinalem ad publicum alloquium admisit, lubenti-

Sæcul. XVI.  
A.C.1596.

Sæcul. XVI. que animo omnes conditiones a regiis  
A.C. 1596. Procuratoribus in ejus reconciliatione  
 Romæ promissas solemnī sponſione con-  
 firmavit.

## §. XXVII.

*Mercurianus Dux a Legato ad recon-  
 ciliationem sollicitatus.*

*Daniel hist. de France pag. 155. Tom. du P. Mor- nai de l'an. 1596.* Cum autem Rege in Pontificis gratiam recepto solus Philippus Emanuel Lotharingus Mercurii Dux cum Henrico in gratiam redire cunctaretur, idem Cardinalis Medicæus Papæ Legatus ad perfectam in Regno cum sacra Sede tranquillitatem procurandam unice intentus nullum non movit lapidem, ut hunc quoque Ducem, qui adhuc in armis erat, ad Regis obsequium flecteret: eapropter datis ad eum literis declarabat, quod Sanctitas sua Henricum tanquam legitimum Franciæ Regem agnosceret, proin si sincero animo Religionis, necnon Ecclesiæ Catholicæ incrementum promovere studeret, & ipse debitam Regi obedientiam deferre festinaret, cum alias, si id renueret, abs dubio summi Pontificis indignationem, atque anathema sibi accersiturus esset. Hac Cardinalis declaratione territus Dux, atque aliunde suis rebus diffusus æquis conditionibus de pace inter spectatos viros utrinque seligendos transigere

gere statuit: verum his Ancenisii con-  
 venientibus Dux Hispanis viribus sub-  
 nixus, vanisque ambitionis suæ confi-  
 liis fasciatus rejectis etiam pacis con-  
 ditionibus oppido proficuis nonnisi in  
 frivolis obtentibus, ac tædiosis tergi-  
 versationibus animum suum a Rege alien-  
 um testabatur: quapropter Philippus  
 Plessius Mornæus, cui hujus negotii  
 cura potissimum erat demandata, nec-  
 non Schombergius, & Jacobus Augu-  
 stus Thuanus hanc in rem a Rege Ce-  
 noncellas missi ad eundem perscripsere,  
 quod hujus Ducis pertinacia nonnisi ar-  
 morum potentia frangi posset, idcirco  
 Rex cum valido exercitu, in Britan-  
 niam contenderet. Verum Hispanis  
 capta Ardea, & Caleto aditum ad Pi-  
 cardiam obstruentibus Rex exercitum  
 ab hujus Provinciæ finibus abducere  
 præpediebatur.

## §. XXVIII.

*Protestantes de suæ Sectæ libertate sibi  
 magis idonee caveri a Galliarum  
 Rege postulantes.*

Vix publicæ tranquillitatis aura in  
 Gallis spirare videbatur, cum Hu-  
 gonottæ iniquissimo prorsus tempore  
 in Picardia novos tumultus concitare  
 molirentur; cum enim eorum audacia  
 indies magis cresceret, Franciæ Regem,  
 quem

Sæcul.XVI.  
 A.C.1596.

Thu. 83  
 Daniel. l. c.  
 Lettr. du  
 Plessis Morn.  
 l'an. 1596.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

quem ad reprimendam eorum petulantiam viribus imparem noverant, vi, metuque eo adigere statuebant, ut eis plenam sectæ suæ libertatem auctoritate regia concederet: eapropter speciosos de Henrico IV. expostulandi obtentus studiose quærebant, cum autem jam anno priori in suo Salmuriensi congressu iniquis petitionibus Regis patientiam fatigassent, nullumque aliud referrent responsum, nisi quod cuncta in edicto sub annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum septimum concessa, necnon cetera in Flexiensi, & Neracensi conventu stabilita fervarent, hoc responso nullatenus contenti, hoc anno Lovioduni in Turonibus convenere, ibidemque in Chupii ædibus ea, quæ Rex ad ipsorum postulata responderat, discutere aggressi sunt, & quamvis inferioris Occidanæ Deputati præprimis quærerent, an ejusmodi Conventus sit legitimus, ac sine Regis facultate convocari potuerit, mox Calvinistæ protervius respondebant, quod ejusmodi licentiam impetrare consultum quidem sit, ea autem denegata ipsis integrum foret, ejusmodi conventum celebrare. Postea recitato Regis responso alium supplicem libellum querelis plenum per Petrum Vulsonem Gratianopolitanum Senatorem Protestantium

stantium in Delphinatu Deputatum ad <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 Regem transmittunt, hæc exponentes: <sup>A.C. 1596.</sup>  
 „cum Religioni nostræ per Pictaviense  
 „edictum haud satis cautum sit, peti-  
 „mus, ut liber illius usus in omnibus  
 „Regiæ ditionis locis nobis conceda-  
 „tur, nostrique Ministri, & Urbium se-  
 „curitatis gratia nobis concessarum præ-  
 „sidiarii milites Regis sumptibus alan-  
 „tur, simulque præter Occidanam ad-  
 „huc tres, aut quatuor Curiaë partim  
 „ex Catholicis, partim reformatis com-  
 „positæ instituantur „ Harum petiti-  
 „onum temeritate Rex haud immerito  
 „offensus, dissimulata tamen indignatio-  
 „ne hæc in responsis dabat: „Pictaviensi  
 „edicto interim insistatis oportet, illud  
 „quoque per meos Deputatos in Curia-  
 „rum acta referri iussi: urbes vero se-  
 „curitatis gratia vobis assertæ maneant,  
 „sique Pictaviense edictum urgente ne-  
 „cessitate fuit quodammodo labefacta-  
 „tum, id alia via resarciri poterit: de  
 „cetero de mei promissi fide, ac præ-  
 „sidio certi sitis, rem tamen ita gera-  
 „tis, ne turbatis ubique rebus hac  
 „vestra audacia novis dissidiis ansam  
 „præbeatis: quapropter vestrum con-  
 „ventum, ut dissolvatis, præcipio. „  
 Attamen Protestantes omne Principis  
 sui imperium vilipendere aucti adeo  
 non obtemperabant, ut etiam in eodem  
 con-

Sæcul. XVI. A.C. 1596. conventu conjuratione inter se facta  
novæ seditionis fabam cudere aggre-  
derentur.

## §. XXIX.

*Seditiosa Protestantium confilia ad-  
versus Regem.*

*Daniel. l. c.* Protestantes ut suam factionem nume-  
ro, & potentia celebriorem redde-  
rent, hacque ratione, quod æquitatis  
via non possent, per obfirmatam vio-  
lentiam in sectæ suæ favorem extor-  
querent, cum omnibus suæ factionis,  
sectæque Sociis arctum, juratumque  
fœdus pangere decernebant: eapropter  
Niorti novum rursus conventum per Er-  
nardum indicunt, atque ad illum Ur-  
bium Rectores, Pictavienses, Santo-  
nenses, Alnisienses, & Engolismen-  
ses Calvinistas Nobiles convocant, ut  
ex illis Provincialis Senatus erigeretur,  
eoque stabilito una omnes Loviodunum  
reversi de omnium Protestantium Ec-  
clesiarum unione agerent: ut vero huic  
conciliabulo ex primæ dignitatis Nobi-  
lium concursu auctoritatem concilia-  
rent, Claromontium, Diguerium, Clau-  
dium Trimolium, Plessium Mornæum  
& Paraberam, necnon omnes Urbium  
ab Hugonottis usurpatarum Guberna-  
tores, præcipuos Aulæ Proceres, ac  
Nobiles convocant, quibus una congre-  
gatis

gatis in Loviodunensi Conventu injun- Sæcul.XVI.  
A. C. 1596.  
ctum, ut Religionis suæ usu ubique in-  
staurato nullibi Missæ Sacrificium per-  
agi permetterent, atque omnia Regis  
æreraria pro præfidiarii militis, ac Pro-  
vincialium Consulium sustentatione vel  
sibi vendicarent, vel nova vectigalia  
imponerent, Curtamergus autem Nor-  
mani Senatus potentia adjutus Argenti-  
nam Urbem nuper a Rege occupatam  
recuperare niteretur. Postea unanimi  
omnium consensu hæc statuebantur. I.  
Præsidia augeantur, Buchardiensis vero  
legio a Rege exauktorata rursus eriga-  
tur. II. Regianensis vectigalis Curia  
itidem a Rege suppressa restauretur, ac  
pecuniæ exin haultæ ad alenda Urbium  
præsidia impendantur. His sancitis spu-  
rius hic Senatus arrogata sibi supremi  
imperii auctoritate declarabat, quod  
hanc in rem necessaria ubique mandata  
daturus esset. Postea omnes congre-  
gati hucusque gesta rata habuere, se-  
que pro eorum executione vitam, &  
bona profusuros jurabant: insuper al-  
tera die vigesima Junii articuli in sanctæ  
Fidei oppido propositi, atque anno  
Christi millesimo quingentesimo nona-  
gesimo quarto ibidem in quodam con-  
ventu sanciti augebantur, rati que ha-  
bebantur: postea vero quidam Depu-  
tati in Aquitaniam, Occidaniam, &  
Delphi-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.  
Delphinatum decernebantur, qui harum ditionum Calvinistas congregarent, eosque adigerent, ut & ipsi hanc unionem Lovioduni sancitam jurejurando firmarent.

## §. XXX.

*Deputati ad Loviodunense Conciliabulum a Rege missi.*

Cum ergo juxta hujus fœderis articulos in omnibus Provinciis Regis Æraria a Calvinistis spoliarentur, & ubique milites conscriberentur, hinc Rex, qui tum Abbatis-villæ agebat, se omnibus tam militum, quam pecuniarum subsidiis, quibus tum in Picardia ad regni sui defensionem summopere indiguisset, destitutum cernebat: sub idem vero tempus Plessius de omnibus hucusque Lovioduni agitatæ Regem certio-rem reddens, eundem hortabatur, ut funestis ex hac Calvinistarum unionem orituris tumultibus obviaturus quædam illis indulgeret. Henricus soluto eorum conventu in Provinciis seditionem conflare veritus, Emericum Vicum Religione Catholicum, & Sofredum Calignonum Hugonottam Loviodunum die nona Julii ablegabat, qui de Calvinistarum petulantia querentes Pictaviense edictum urgerent, simulque sponderent, quod Rex in illis urbi-

urbibus, in quibus juxta nova pacta spuriae reformationis usus fuit abolitus, alio modo prospicere vellet. Ast Loviodunenses aucta temeritate vicissim expostulabant, quod Rex utrique huic Deputato adeo restrictam agendi facultatem dedisset: porro idem Rex mox utrumque ad eorum conventum remittens per eos hæc proponi voluit. I. Præsidia vestra alere nequeo; si enim id vobis indulgerem, æquiori jure hanc gratiam Catholicis harum ditionum Urbibus facere cogerer, utrumque tamen extrema, qua laboro, pecuniarum penuria vetat. II. Hunc vestrum conventum Vindocinum, aut Gergolium ad urbes tam mihi, quam meis Deputatis accessu magis faciles transferte. III. Denuntio vobis, quod tunc, si regiae meae auctoritatis jura adeo petulanter usurpare pergitis, contra vos tanquam rebelles extrema media adhibiturus sim. Ad hæc Loviodunenses Hugonottæ, quamvis se in Regiæ auctoritatis jura involasse, diffiteri non auderent, neglectis ceteris, quæ Henricus ab eis petebat, unice conventum ad Vindocinensem urbem transferebant.

## §. XXXI.

*Rothomagensis Conventus.**Hist. Eccles. Tom. LII.*

E

Præ-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

*Spond. hoc  
ann. n. 17.  
Thu. l. c.  
pag. 766.*

Præterea ambo Regis Deputati congregatis proponere jubebantur, quod Rex Mense Novembri Principum, Procerum, ac Regni Ordinum comitia Rothomagi celebrare decreverit, atque ad illa non modo ex Clero, & profana Nobilitate, & plebejo ordine præcipuos, sed etiam Hugonottarum Deputatos convenire desideret, ut de opportunis tranquillitatem regno reddendi, ac subsidia contra Hispaniæ Regem conquirendi mediis juncto consilio agi posset: cum ergo Loviodunenses Calvinistæ suos Deputatos illuc decernere pollicerentur, Rex die vigesima Octobris Rothomagum venit, ac Conventui die quarta Novembris initium fecit. Aderant præter Cardinalem Medicæum Papæ Legatum, & Præsulum quamplurimos Petrus Gondius, & Anas Giurius itidem Cardinales, ex Proceribus vero Montpenserius, Nemorsius, Espernonius, Radefiarum Dux, & Matignonus præter Curiarum Præsides, Provinciarum Rectores, & civitatum Vindocinensium Hugonottarum Deputatos. Cunctis igitur una congregationis Rex folio suo insidens habita oratione hæc effatus est: „in hoc confessu „non Oratoris, sed liberatoris, atque „restauratoris partes agere statui, quas „ut debite explere valeam, hunc conventum

„ventum indixi, alio sane incitatus  
 „consilio, quam Prædecessores mei,  
 „qui in ejusmodi comitiis suarum vo-  
 „luntatum comprobationem a Congre-  
 „gatis extorquebant: ego vero me ad-  
 „stantium consilio submittens a vestre  
 „arbitrio pendere, ac veluti me in ve-  
 „stram tutelam dare volo, unice a vo-  
 „bis exorans, ut concordi suffragio in  
 „id incumbatis, quatenus regnum,  
 „quod ob hostium incursum liberavi, sub-  
 „sidiis tempestive collatis, ab exitio  
 „vindictis., His præmissis Philippus  
 Huraltus Cancellarius Regis jussu ce-  
 tera ejusdem vota fusius exponebat:  
 altera autem die Delegati in tres clas-  
 ses distributi sunt, ut seorsim delibera-  
 rent, & postea in pleno consensu desu-  
 per ageretur: præcipue vero Rex præ-  
 cepit, ut cum Hugonottarum Deputa-  
 tis Connestabilis, Belleverius, Sille-  
 rius, Vicus, & Forgetus separatim  
 conferrent, coram quibus hi Calvinistæ  
 sua exponebant mandata; quippe a Lo-  
 viodunensi conventu jussi erant hæc  
 petere. I. Calvinistis Sectæ suæ usus  
 per universum Regnum absque ulla re-  
 strictione concedatur. II. In Parisien-  
 sis, Rothomagensis, Redonensis, &  
 Divionensis Senatus territorio Curia  
 æque ex Catholicis, quam Calvinistis  
 conflata erigantur. III. De Ministro-  
 rum,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1596.

Sæcul. XVI.  
A C. 1596.

rum, & præfidiariorum sustentatione provideatur. Habebantur plures de super consultationes, quibus finitis Deputati singula ibidem proposita ad Vindocinenses exacte referebant, tandem vero sua importunitate hæc impetrabant. I. Hujus Sectæ libertas in illis locis, ubi ab anni currentis initio concessa fuit, indulgeatur. II. In quolibet Pago, & Prætura, ubi vi Pictaviensis edicti non nisi unum sermonem habere permittebantur, nunc duos habere valeant: Rex tamen palam declarabat, quod nova hac indulgentia unice ideo uteretur, ut licentiam eis antea per Pictaviense edictum concessam, si hæc per pacta cum fœderatis ad Regis obsequium redeuntibus recens inita fuisset labefacta, quodammodo refarciret: cetera autem Hugonottarum postulata provido silentio eludebantur, quamvis hi Protestantes cum hujus concessionis facilitas eorum contumaciam acueret, postmodum circa ceteros quoque articulos responsum dari urgerent.

§. XXXII.

*Regni Ordinum postulata in hisce comitiis.*

*Thu. l. c.* Præprimis Clerus Gallicanus postulabat. I. Præfulum electiones restituantur: si vero id Regi minus placeret, saltem

saltem interim Blesensium comitiorum Sæcul. XVI.  
 decretum ante viginti annos conditum A.C. 1596.  
 fervetur. II. De restauranda Ecclesiæ  
 disciplina agatur. III. Synodi Provin-  
 ciales singulis trienniis celebrentur.  
 IV. Simoniaci juxta Sixti V. diploma  
 coerceantur. V. Milites in templis sta-  
 tiones suas non habeant, nec equi in  
 illis pabulari permittantur. Ceterum  
 Nobiles petebant. I. Ad dignitates  
 ecclesiasticas, & profanas Plebæis No-  
 biles præferantur. II. Eisdem jura,  
 atque immunitates fartæ ferventur.  
 III. In regio comitatu plures Nobiles  
 pueri alantur, ac Nobilium disciplinis  
 imbuantur. IV. Prætorum sententiæ  
 Nobilium Chirographo firmentur, nec  
 Regisliteræ iis haud prius consultis ape-  
 riantur. V. Ignobiles nobilitatem au-  
 ro redimentes ex coemptis arcibus, aut  
 castellis nec insignia, nec nomen, pro-  
 prio omisso, assumant. VI. Leges de  
 moderato sumptu in usum revocentur,  
 ne Nobiles luxu inter eos grassante ad  
 paupertatem redigantur. Denique Ple-  
 bæi Ordinis Primores varia ad popu-  
 lum ab impositis oneribus sublevandum,  
 ac ad justitiæ administrationem condu-  
 centia decerni petebant. Verum hæc,  
 pluraque alia salubriter quidem in hoc  
 confesso in deliberationem vocata, mi-  
 nime tamen executioni fuere data, cum  
E 3 iidem,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

iiidem, qui quidem harum legum necessitatem agnoscunt, plerumque tamen variis artibus earum auctoritatem, usumque eludere soleant.

§. XXXIII.

*Parisiensis Cleri Gallicani Conventus.*

*Spond. n. 18.* Jam anno priori Clerus Gallicanus ab Henrico IV. Rege facultatem impetraverat, ut pro more Conventum haberet, ibidemque de Ordinis sacri rebus, nec non ecclesiasticæ Disciplinæ restauratione deliberaret: nunc ergo ineunte hoc anno huic congressui initium dabatur, atque Episcopus Ceno-manensis die vigesima quarta Januarii ceterorum nomine ad Regem deputatus, habita oratione deplorandum Ecclesiæ Catholicæ statum, atque innumeras Regni calamitates eidem exposuit, simulque remedia, per quæ ejusmodi malis occurri posset, suggerens, præprimis disciplinæ adeo labefactatæ causam exinde exortam declarabat; quod Concilii Tridentini statuta nullo adhuc publico Regis, totiusque Nationis decreto fuissent promulgata, proin nec eorum executio in Galliis urgeri posset, frustra vero tam salubria juxta, ac necessaria reformationis decreta, peccantibus ipsis Gallis, in Concilio fuissent condita, si ea executioni mandari  
non

non permittantur, de cetero autem po-  
 testas ecclesiastica, nisi regia auctori-  
 tate suffulciatur, nimis infirma foret,  
 ut corrupti mores ad hujus Synodi nor-  
 mam emendari, ac contumaces ad  
 officium redigi possent, cum nullius  
 auctoritatis sit Magistratus ille, qui non  
 habeat nervos, quibus fiat executio in  
 contumaces: quapropter Clerus Regem  
 enixe rogabat, ut sacrum hoc Conci-  
 lium publico edicto in singulis Ecclesiis,  
 ac Provinciis promulgari juberet: postea  
 Præsul de multis aliis oneribus, qui-  
 bus ecclesiasticus Ordo in Galliis ini-  
 que premebatur, queri cœperat, ad  
 quæ quidem capita Rex nonnisi ver-  
 borum benignitate, ac pollicitationum  
 amplitudine respondens duntaxat pa-  
 ctum de consueto pecuniarum subsidio  
 grato animo acceptabat, prætermissa  
 omni Tridentinæ Synodi mentione,  
 nec tamen propterea immotum Cleri  
 Gallicani studium deferbuit; cum enim  
 Præsules Tridentinum Concilium in Gal-  
 liis regia auctoritate, ac solemniter  
 edicto promulgari desperarent, saltem  
 per Provinciales Synodos subinde ce-  
 lebratas id in usum deducere, illius-  
 que decreta tanquam Synodica sua  
 statuta asserere nitebantur.

Sæcul XVI.  
 A.C. 1596.

*Collect. Con-  
 cil. Flav.  
 t. 10. p. 187.  
 Cabasut.  
 notit. Eccles.  
 Sæc. XVI.  
 pag. 765.*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

§. XXXIV.

*Concilium Aquilejense.*

*Spond. n. 21.* **H**oc item anno Franciscus Barbarus Aquilejensis Patriarcha Concilium celebrabat, quod quidem ob dignitatem illius, qui eidem præerat, Aquilejense primum dicitur, re tamen ipsa in civitate Utinensi, ad quam ipse Patriarcha, Aquileja ob aeris insalubritatem relicta, sedem suam transtulerat, celebratum est, quocirca etiam inter sexdecim Episcopos, qui ad calcem subscripti leguntur, nullus Utinensis Præsul vocatur. Erant autem hi Petinensis, Parentinus, Vicentinus, Feltrensis, Polensis, Cenetensis, Famagustanus, Potavinus, Comensis, & Tarvisinus Episcopi præter Justinopolitani, Æmoniensis, Concordiensis, & Bellunensis Præsulum Procuratores, Targestinus vero Episcopus Michaellem Passeram Canonicum eo ablegabat, qui die vigesima octava Octobris in Synodo sui Præsulis absentiam excusabat: insuper Ludovicus Madrutius Cardinalis Tridentinus Episcopus Romæ existens Josephum Robertum Tridentinæ Ecclesiæ Canonicum tanquam suum Procuratorem nominabat, qui etiam die undecima Novembris hoc anno Utini comparuit, jam autem Mense Octobri huius Synodo

Synodo initium dabatur, in qua novendecim sanciebantur decreta, ac præprimis eadem Concilii Tridentini decreta de emittenda fidei professione, nec non de sacræ Scripturæ lectione in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ac Monasteriis instituenda confirmat, pariterque omnibus Parochis injungit, ut singulis saltem annis edictum de hæreticis denuntiandis promulgent, atque caupones, qui diebus vetitis carnes hospitibus apponunt, ad sanctum officium deferant, librosque prohibitos vendi, vel retineri prohibeant. Postea Patres egerunt de Verbi divini prædicatione, & Missæ Sacrificio, necnon de divino officio, ubi decernitur, imposte-  
 rum horas Canonicas ex Breviario Romano sub Pio V. edito in tota Aquilejensi Provincia esse recitandas: insuper egit Synodus de Episcoporum, Curatorum, Canonicorum, & Beneficiatorum residentia, simulque tam in Episcopum eligendi, quam eligentium doctes præscribit, ac quædam salubria circa Clericorum vestes, & mores statuta condit, necnon de Seminariorum institutione pertractat: cetera vero decreta Episcoporum visitationes, Festorum dierum cultum, Sanctorum Reliquias, Ecclesiarum Venerationem respiciunt. Denique Ecclesiarum bona,  
 E 5 & jura

Sæc. XVI.  
 A.C. 1596.

Sæcul. XVI. & jura semper integra servari præcipit  
A. C. 1596. Synodus, ac varia de Vicariis Foraneis,  
 & Monialibus statuit, quibus præter  
 ordinarium Confessarium adhuc alium  
 extraordinarium bis, aut ter ab Epi-  
 scopo permitti vult. Singula hæc Decreta  
 Concilium a summo Pontifice confir-  
 mari, atque approbari petiit, quod  
 etiam a Clemente VIII. haud difficul-  
 ter obtinuit.

## §. XXXV.

*Rusticorum tumultus in Austria re-  
 crudescentes.*

*Thu. l. 14.* **C**um interea Rudolphus Cæsar Tur-  
*§ 115.* cas in Hungaria reprimere nite-  
 retur, inde copias revocare coactus  
 est, ut rusticorum in Austria tumul-  
 tuantium furorem extingeret; hi e-  
 nim anno priori se a Nobilibus gravi-  
 nimis jugo opprimi caussantes, pro-  
 speritatem seditionis ope redimere sta-  
 tuebant, quocirca tumultuario agmi-  
 ne contracto Eferdingam, oppidum  
 tertia leuca Lincio distitum, obsede-  
 runt: verum cum rebellium arma,  
 quæ ab initio sub æquitatis obtentu  
 contra vim præsumptam suscepta sunt,  
 plerumque ex libertatis cupiditate in  
 promiscuam ferociendi licentiam de-  
 generare soleant, sic etiam hi rustici  
 vicinos, a quibus nequaquam lacessiti  
 fue-

*Palat. vita  
 Rud. II.  
 pag 87.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

fueraut, Principes aggredi parabant, & jamjam ad Manseensem Abbatiam contendebant, quapropter Wolfgangus Theodoricus de Raitenau tum Salisburgensis Archiepiscopus conscriptis quatuordecim armatorum millibus sese tumultuanti huic catervæ opponere statuit. Rustici comperto hoc belli apparatu, simulque Hannibale Ratenavio cum Cæsareis copiis adventante post aliquot velitationes die decima octava Novembris pactis conditionibus in obsequium rediere. Verum hoc anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto novo seditionis impetu acti, rursus collectis suorum octodecim millibus, atque uxoribus, & prolibus domi relictis in agro Cremifanensi convenerunt, ac primo quidem nonnisi victum sibi suppeditari postulabant, quin Nobilium arces, & bona diripere attentarent: verum desperatione audaciam stimulante, ut suorum numerum augerent, quoscunque obvios vi, minisque ad factionis suæ signa adigebant; renuentes vero omnibus bonis spoliabant. Cognita horum ferocia Cæsar quantocius ad eos quemdam ablegabat, qui eis nuntiaret, quod perduellionis rei severissimas promeriti essent pœnas, si vero ab armis confestim discederent,

Sæcul. XVI  
A.C. 1596.  
derent, cunctis præteritorum veniam  
elargiri paratus esset: attamen, cum  
apud plebejos vitium rebus secundis  
solemne sit audax superbia, hi Anisiæ  
superioris Austriæ oppido ad quinquaginta  
millia confluentes arrogantius hæc  
in responsis dabant; „nobis libertas ipsa  
„vita potior est; nunc autem tempus  
„advenit, quo Principes edoceri pos-  
„sunt, quod subditis non velut man-  
„cipiis, sed tanquam hominibus Christi  
„sanguine in libertatem assertis impe-  
„rare deberent.„: Sequenti tamen an-  
no horum rebellium auctores extremo  
supplicio affecti periere; plerumque e-  
nim seditionis exitus est seditionum  
exitum.

## §. XXXVI.

*Franciæ Rex, atque Angliæ Regina  
Hispaniæ Regi bellum infe-  
rentes.*

*Rapin Thoi-  
was l. 17-  
pag. 487.  
Thu. l. c.*

Cum Elisabetha Catholicam Religio-  
nem adversus Belgii rebelles, &  
Franciæ Calvinistas a Philippo II. Hi-  
spaniarum Rege fortiter propugnari ini-  
quo prorsus ferret animo, inito cum  
Henrico IV., & Batavis foedere eundem  
totis viribus aggredi statuit, hancque  
in rem nequidem computatis viginti  
duobus Batavorum navigiis centum  
quinquaginta navium classem sex mil-  
libus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

libus trecentis sexaginta militibus, ac mille honorariæ militiæ juvenibus, necnon sex millibus septingentis septuaginta duobus nautis validam instruxit, illiusque Architalassum nominavit Carolum Hovardum, cui Robertum Essexiæ Comitem adjunxit, ita tamen, ut huic in terra, illi in mari supremæ auctoritatis prærogativa cederet, promulgato prius diplomate, quo Elisabetha hujus belli adversus Hispanos suscepti æquitatem vindicare, ac ipsos etiam Scotiæ, & Daniæ Reges, aliosque Principes ad initum fœdus sollicitare nitebatur. Ineunte ergo Mense Junio classis Plimutensi portu solvit, inopina vi Gades Urbem obrutura: ne vero Hispani hostium consilia detegerent, Anglicæ naves remotius a Franciæ, & Hispaniæ oris iter tenebant, eo certiori prosperæ expeditionis augurio, quo majori ignavæ securitatis fiducia Hispanos in portu stertere intellexerant; quapropter Angli accelerato cursu die vigesima Junii Gaditanæ Insulæ appropinquant, ad quorum conspectum Hispana classis Puntalam secessit, quam tamen altera die Angli toto impetu aggrediebantur, ac primo binas Hispanorum prætorias naves densa globorum tempestate impetebant: ast Hispani, cum primam hanc classis suæ concussio-

nem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

nem inultam relinquere nollent, vicifim ferociorem in Anglorum Prætoriam impetum urgent, unde cum ipsa fortitudinis æmulatio, laborisque frustratio animorum indignationem inflammaret, tunc primum utrinque certaminum exarsere studia, cruentoque non minus, ac pertinaci prælio a prima luce usque ad noctem protracto tria majora, ac pleraque minora Anglorum navigia omnino depressa periere, cum autem tertia jam oppugnatione prætoria Hispanorum navis ab Hovardo quateretur, eodemque tempore Batavorum prætoria superveniens in eandem horrendam flammæ grandinem detonaret, Hispani numero hostibus longe inferiores, cum in lubrico, præcipitique prælii fortunam stare cernerent, ipsimet injecto igne Prætoriam suam unacum aliis duobus navigiis incenderunt, cum reliqua classe adhuc innoxia in tutum sese recipientes.

§. XXXVII.

*Gades ab Anglis capta.*

*Spond. n. 14.* Interea cum ab Anglis maritimo certamine pugnaretur, Essexiæ Comes cum octingentis Puntalæ exscensione facta ad Gaditanam Urbem recta contendit, primisque expeditionis suæ auspiciis quingentos Hispanos extra urbem  
obvios

obvios aggressus, tanto vincendi ardore retrocedentes insequeretur, ut parum abesset, quin unacum fugitivis in urbem penetraret: inde tam ingens terror præsidarios invaserat, ut de valida Urbis defensione consultandi spatium Hispanis inopina hac celeritate præriperetur, Comes vero perfractis foribus, superatisque omnibus resistentium obstaculis intra unius horæ spatium Urbis forum occuparet, civibus, ac præsidiariis sese ad arcem recipientibus: altera autem die, cum nulla suppetiarum spes esset, inter deditiones sancitum est, ut vitæ gratia septuaginta aureorum millium pretio redimatur, interea vero primores urbis cives tanquam obsides tradantur. Nihilominus Angli occupata urbe nec ætati, nec formæ, nullique sexui parentes eiectionis omnibus incolis cunctas ædes, ac Tempia diripiebant, moxque Comes naves plurimas auro, bellico apparatu, aliisque rebus pretiosis onustas in Angliam transmisit; alia vero undecim navigia variis mercibus plena, quæ in Indias navigare parabant, occupavit. His ita gestis Comes nil ultra præclari in tota hac expeditione tentabat, sed conversis velis in patriam ineunte septembri remeavit, haud magna gratulationis testificatione ab Elisabetha exceptus.

§. XXXVII.

Sæcul.XVI.  
A.C.1596.



Sæcul. XVI.

A.C. 1596.

§. XXXVIII.

*Nova Classis ab Hispaniæ Rege contra Anglos instructa.*

*Rapin. l. c.*

Quamvis major esset prædæ opulentia, quam Victorum gloria, Philippus tamen Hispaniæ Rex se ab Elisabetha præventum dolens, non modo de ea ultionem sumere, sed & Angliæ regnum armis suis subicere parabat: quapropter omnes, quæ supererant, naves colligens, exterarumque sibi pacto pretio conjungens, formidandam profus classem eo tempore instruxit, quo Elisabetha sibi a Rege nil amplius timendum existimabat. Igitur Philippus Mense Octobri Ulyssipone solvens Fariolæ milites navigiis suis imposuit, promotoque cursu in Angliam, atque Hiberniam navigare intendit: verum vix incepto itinere rursus adversam experiebatur fortunam; quippe immutata repente maris fide tam fœda oriebatur tempestas, ut præter disturbatum procellis aerem ob furentium Austrorum violentiam plurimæ naves inter se collisæ perirent, aliæ vero aut ab anchoris ancipiti fide penderent, aut omnino avulsæ sævo improborum fluctuum agitato scopulis impactæ confringerentur, aut eluso remigum, velorumque nisu, & labore undequaque dispersæ magis ad

ad terrorem, quam periclitantium o-  
pem inter turbines fluctuarent: unde  
tota, tamque egregie instructa classis  
vix non certæ victoriæ spe hoc anno  
frustrabatur, quædam tamen navigia,  
quæ sævæ hujus tempestatis periculum  
eluctatæ sunt, in Hiberniam appule-  
runt, opem laturæ Comiti Tiræno, qui  
in hac Insula potentissimus Religionem  
Catholicam ibidem ab hæreticis oppres-  
sam propugnaturus Hispanorum auxi-  
lia præstolabatur: Elisabetha vero cun-  
ctas urbes, in quibus Hispani rursus  
excensionem tentare possent, sollicitè  
propugnaculis, ac milite firmabat, ne  
denuo ejusmodi periculo, quod non-  
nisi alieni infortunii beneficio evaserat,  
exponeretur.

§. XXXIX.

*Rudolphus II. Cæsar a Papa suppe-  
tias adversus Turcas efflagitans.*

Turcis interea Hungariam fœde de-  
vastantibus Rudolphus Imperator  
non modo in Imperii comitiis Ratisbo-  
næ anno Domini millesimo quingente-  
simo nonagesimo quarto celebratis, sed  
etiam hoc anno a summo Pontifice sup-  
petias pro bellica expeditione in Turcas  
efflagitabat, quapropter ex Pragenfi  
Urbe die vigesima sexta Novembris ad  
Clementem VIII. Papam literas dabat,  
*Hist. Eccles. Tom. LII,* F      quas

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

*Goldast.  
Const. Imp.  
tom. 3.  
pag. 582.*

Sæcul.XVI.  
A. C. 1596.

quas per Madrutium, & Parravicinum Cardinales, necnon Sueffiæ Ducem Regis Catholici Oratorem eidem porrigi voluit. Erat autem hæc illarum summa: *Cum in omnes Christiani orbis sive propinquas, sive remotas partes nos convertimus, in primis sese Sanctitas vestra offert, a qua, dum auxilia quærenda sunt, secundum Deum auspicemur: neque nobis dubitatio in mentem venire potest, quin Sanctitas vestra, præsentî necessitate sibi ob oculos posita, paternæ liberalitatis sinum, & propter maximas rerum nostrarum angustias benevole apertura sit, ut insigne iis, a quibus opem flagitamus, exemplum, quo animentur, & excitentur, nobisque adeo ipsis, subditisque nostris præbeat. Quod eo magis futurum est, si Sanctitas vestra, licet his literis nostris non rogetur, quasi sponte sua, non expectato solenniore, quem mittere decrevimus, legato, Apostolicum Zelum in hac gravissima naufragantis Christiani Imperii tempestate, Regniq; Hungariæ gemitu, ultro ostenderit, nobisque auxilia se digna, prout maxime res laborans publica requirit, quamprimum decreverit. In celeritate vero spes omnis sita est, ut hostis consilia, priusquam redintegratis ille viribus in ulteriores ditionis nostræ partes latius sese diffundat, antevertamus: ea de causa Septemviro, & Principes exteros, a quibus*

bus subsidia speranda putamus, legationibus, literisque interpellavimus, necnon ex privato patrimonio nostro, ut delectam externi militis manum conducamus, magnas pecuniarum summas constandas statuimus, nihilque in ceteris intentatum reliquimus. Ad quod quidem eo magis animamur, ne pacem diversis modis callide ostentatam amplectamur, quod multis insignibus, quas divino per hos annos beneficio obtinuimus, victoriis, & quidem in conflictu nupero, ubi majorem Turcæ, quam nostri, cladem acceperunt, etsi minus idem nostris feliciter evenerit, didicerimus, eum, qui superiori ætate invictus habebatur, vinci, ac superari hostem posse, si ea, quæ in nostris desiderata fuere, corrigantur. Corrigan- tur autem, uti plane confidimus, si ope celeri inprimis Sanctitatis vestræ, & aliorum deinceps Principum, periti, & exercitanti militis exercitum primo statim vere in promptu habuerimus, priusquam hostis equitatum, cui præfidit, per revirescentis anni tempus instauret; præcipuam enim calamitatis, quam hactenus accepimus, causam fuisse necesse est, quilibet fateatur, quod propter auxilia, quæ passim ursumus, tarde impetrata, tarde armare exercitum, & quidem ex propinquiore tantum nationibus hoc anno potuerimus, cui Sanctitatis vestræ auspicia defuerunt: si vero (quod absit) iis nos nunc destitui contin-  
 F 2 geret,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1596.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

geret, videt Sanctitas vestra, quod reliqui  
 Italiae Principes eo exemplo a conferendis  
 auxiliis abducendi sint, & hostes non mi-  
 nus Italiam, quam Germaniam spe devo-  
 rent; unica enim obstat Austricæ nostræ  
 Metropolis Vienna: sed hæc Sanctitas  
 vestra pro summa sua prudentia ultro pen-  
 sitabit, aliisque Italiae Principibus sollicite  
 pensitanda suadebit, ut tum a Sanctitate  
 vestra, tum ab aliis nulla mora interpo-  
 sita (neque enim ullam hæc summa rerum  
 necessitas moram patitur) certum respon-  
 sum accipiamus, ne longa, quemadmodum  
 antehac, expectatione suspensi, inter incerta  
 hære, ac fluctuare consilia cogamur: quo  
 nihil in præsentis periculosius, nihil  
 esse perniciosius possit. Cæterum hæc Cæ-  
 saris literæ haud optato caruere succes-  
 su; quippe summus Pontifex non modo  
 cunctos Principes ad auxilia ferenda  
 sollicitabat, sed etiam per Legatum  
 suum Joannem Franciscum Aldobran-  
 dinum circiter decem peditum millia  
 præter quasdam Equitum centurias suo  
 sumptu alendas, quibus Mantuæ Du-  
 cem præfecit, submittebat.

§. XL.

*Aquensis Senatus edictum contra Ge-  
 nebrardum Archiepiscopum.*

Daniel hist.  
 de France  
 pag. 133.

Cum Principum fortunam pressopede  
 hominum favor sequi soleat, Hen-  
 rico

rico Franciæ Rege ad Regni solium e-  
 vecto ferme omnes, qui primo sese ei-  
 dem acriter opponebant, ejus gratiam  
 luculento quodam facinore demereri  
 certabant, quos inter Aquensis Sena-  
 tus in Regis obsequium foederatos peni-  
 tus exterminare decreverat, ac præ-  
 primis Gilbertum Genebrardum ejus-  
 dem urbis Archiepiscopum, qui anno  
 Christi millesimo quingentesimo nona-  
 gesimo tertio a Gregorio XIII. Papa ad  
 hanc dignitatem erat promotus, inse-  
 ctari, atque in eum judicii acta instrue-  
 re cœperat, eo quod sacro foederi ad-  
 dictissimus non ita pridem librum Ec-  
 clesiæ Gallicanæ libertatibus adversum  
*de sacrarum electionum jure ad Ecclesiæ*  
*Gallicanæ redintegrationem* publici juris  
 fecisset, simulque Regi obsequium ab  
 urbe deferri noluisse, donec ipse a cen-  
 suris per summum Pontificem solutus  
 esset. Hæc erant accusationum capita,  
 ob quæ die vigesima sexta Januarii an-  
 no Incarnationis Dominicæ millesimo  
 quingentesimo nonagesimo sexto per  
 Senatus edictum læsæ Majestatis reus,  
 omnibus ipsius bonis proscriptis, Re-  
 gisque ærario addictis in exilium extra  
 Regni fines demandatus fuerat, ipsius  
 vero liber carnificis manu comburi jus-  
 sus: eapropter Archipræsul Avenionem  
 secessit, paulo post tamen Samurium in

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1596.

Sæcul. XVI. Burgundia, ubi haud ignobile benefi-  
 A.C. 1596. cium possidebat, redeundi facultatem  
 obtinuit, ibidemque die decima tertia  
 Martii, seu decimo tertio Mense post  
 latam exilii sententiam anno sequenti  
 sexagenarius obiit. Ceterum vir erat  
 pietate insignis, ac in omni scientiarum  
 genere versatissimus, cujus mortem  
 ipse sanctus Franciscus Salesius hoc  
 carmine deplorabat:

l. 2. de a-  
 more Dei  
 cap. 2.

*Abstulit una dies ævi decus, istaque  
 luctu,*

*Continuit sacrae tristis facundia lin-  
 guæ.*

§. XLI.

*Ramæi Impostoris Supplicium.*

Daniel l. c.  
 Spond. 20.  
 Thu. p. 770.

Sub idem tempus in Francia quidam  
 Fanaticus, nomine Franciscus Ra-  
 mæus, extremo supplicio affectus est;  
 hic enim sese Caroli IX. Franciæ Regis,  
 & Elisabethæ Austriacæ ejus Conjugis  
 filium esse, atque a Catharina Medicæa  
 Regina Caroli Matre se vix natum e pa-  
 tria sua abductum ajebat, postea vero  
 in gratiam Henrici III., quem Catha-  
 rina sibi dilectissimum obeunte Carolo  
 ad sceptrum destinaverat, se ab eadem  
 expositum mentiebatur, demum vero  
 se a quodam Pictaviensi Nobili Ægidio  
 Ramæo, a quo nomen mutuatus esset,  
 educa-

educatum afferebat; tota igitur hac  
 commenti serie probe instructus ex Pi-  
 ctavia ad Veromandos transiens, Joan-  
 nis Fossierii cujusdam agricolæ contu-  
 bernio usus aliquamdiu delituit, se-  
 que legitimum Franciæ hæredem, Re-  
 gemque jactitabat; utque excogitatae  
 suæ fraudi auctoritatem conciliaret, se  
 æque, ac Fossierium crebris a Deo reve-  
 lationibus honorari adeo dextre finge-  
 bat, ut plures Magnates huic fraudum  
 Architecto nimium faciles præberent  
 aures, ac miserationis sensu tacti pro-  
 fusa eidem pecunia subvenirent: rei au-  
 tem fama jam latius sparsa, cum per  
 ementitum Regis Caroli nomen facile  
 novis seditionibus fomitem præberi me-  
 tus esset, Petrus Amorius Parisiensis  
 Senator tum ibidem agens, utrumque  
 comprehendi, ac Rhemos abduci cu-  
 ravit, ubi in eos lata est sententia, vi-  
 cius ambo hanc fraudem palam pro-  
 fiteri, & propterea a Deo, & Rege ve-  
 niam petere cogerentur, Ramæus vero  
 laquei supplicium subiret Fossierio in-  
 spectante, cum autem uterque ab hac  
 sententia ad Parisiensem Senatum ap-  
 pellaret, hic non modo Rhemensis cu-  
 riæ judicium die octava Martii Lutetiæ  
 ratum habebat, sed etiam Ramæi cor-  
 pus post supplicium flammis absumi ju-  
 bebat,

F 4

bebat,

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1506.



Sæcul. XVI. bebat, quod etiam in publico foro executioni datum.  
 A C. 1596.

## §. XLII.

*Errici Lotharingæ Principis epistola ad Clementem VIII.*

*Preuv. de  
 Hist. de Lo-  
 raine P. Cal-  
 met tom. 3.  
 pag. 455.  
 Et p. 123.*

Hoc anno Erricus Lotharingæ Princeps, ac Virodunensis Episcopus, cum ex nimia humilitate suam præsentiam Diæcesanis suis minus utilem fore arbitraretur, Romam contendit eo fine, ut ibidem Jesuitarum institutum profitendi facultatem a Papa obtineret, qua denegata, cum Principum Lotharingicorum, ac præcipue utriusque Fratris sui, qui Catholicam fidem contra Turcas, & infideles Barbaros propugnaturi gloriose occubuerunt, exemplo stimulatus esset, hinc etiam, ut vel in quadam legatione in Oriente pro Sedis Apostolicæ obsequio, vel in sacro bello contra infideles pro Religionis orthodoxæ defensione adhiberetur, a Clemente VIII. summo Pontifice efflictim petebat, porrecto hanc in rem libello supplici, cujus summa hæc est: „Expono Beatitudini vestræ ego ad pedes illius humillime pro-  
 „volutus Erricus a Lotharingia, Episcopus, & Comes Virodunensis, quod  
 „cum longa experientia didicerim, Resi-  
 „dentiam meam in Episcopatu Virodu-  
 „nensi

„nensi, præsentis rerum statu attento  
 „non modo non utilem fore, & profi-  
 „cuam, sed potius noxiam, & pericu-  
 „losam, hinc consultius judicavi ad tem-  
 „pus me subducere, & interim vitam  
 „cum sanguine, si opus fuerit, in Religio-  
 „nis Catholicæ bonum profundere. Nolo,  
 „Beatissime Pater, meis avis, & fra-  
 „tribus esse dissimilis; & dum non li-  
 „cet in munere Episcopali Principibus  
 „ecclesiasticis familiæ nostræ esse simi-  
 „lem, patiatur Beatitudo vestra, ut id,  
 „quod residuum est vitæ, vel in legatione  
 „pro Sanctitate vestra obeunda, vel  
 „sacrorum armorum contra infideles  
 „usu, impendam, & superimpendam.  
 „Nihil aliud peto, nisi quod Episcopi præ-  
 „teritis temporibus, & in bellis pro hac  
 „sancta Sede, & in expeditionibus pro  
 „recuperanda terra sancta cum laude,  
 „& successu feliciter tentarunt, &  
 „Religiosos cum hujus sanctæ Sedis li-  
 „centia etiam nostris temporibus con-  
 „tra hæreticos fecisse vidimus. Nihil  
 „recuso, quod Beatitudinis vestræ be-  
 „nedictione interveniente, gratum Deo,  
 „& familia nostra dignum Sanctitas  
 „vestra judicaverit; neque detrectabo  
 „ullam legationem, etiamsi ad Persa-  
 „rum Regem destinarer, modo illud  
 „Beatitudini vestræ, & Sedi Apосто-  
 „licæ placere cognovero, cum is sim,

Sæcul. XVI.

A. C. 1596.

Sæcul. XVI. „qui in caussa Christi, vel quod idem  
 A.C. 1596. „est, in Beatitudinis vestræ obsequio,  
 „sanguinem meum profundere sim  
 „paratissimus, & eo fine huc ad sa-  
 „cratissima Apostolorum limina accef-  
 „serim, ut & tantos Patronos in meo  
 „conatu propitios mihi redderem, &  
 „vestræ Sanctitatis consilio, ductui,  
 „& imperio, uti Christi Domini, me  
 „totum offerrem, & dicarem, illud  
 „præcipue præ oculis habens, ut Bea-  
 „titudine vestra protegente, Religio-  
 „nem Christianam, vel in munere pub-  
 „lico, vel armis (auxiliantibus pa-  
 „rentibus, amicis, & Nepotibus) in  
 „aliqua infidelium terra propagem,  
 „bene mecum actum fore crediturus,  
 „si, quod Gottefridus Bullionius con-  
 „tra Saracenos, quod in Gallia Prin-  
 „cipes familiæ nostræ contra hæreti-  
 „cos, quod fratres mei contra Tur-  
 „cas etiam cum nominis sui laude  
 „fecerunt, sanguinem cum vita in ho-  
 „norata aliqua expeditione profundam,  
 „certissime sciens, Episcopatum mu-  
 „neri meo commissum, invigilante di-  
 „ligentissime Serenissimo Lotharingiæ  
 „Duce Cognato meo nullum damnum  
 „passurum, omnibus a me ante di-  
 „scessum meum ita ordinatis. „ Verum  
 summus Pontifex haud consultum ra-  
 tus, quod intempestivo hujus Præsulis  
 ardori

ardori cederet, eidem author extitit, ut rursus gregi suo invigilaturus Virodunum reverteretur, unde optimus hic Antistes die duodecima Februarii anno sequenti Roma discessit, ad Diæcesin suam rediturus, postea tamen anno Domini millesimo sexcentesimo decimo suum Episcopatum, quem per octo annos tenuerat, abdicavit, & demum die vigesima septima Aprilis Nancæi anno a partu Virginis millesimo sexcentesimo vigesimo tertio obiit.

§. XLIII.

*Joannis Mauroceni Cardinalis obitus.*

Sacrum Purpuratorum Collegium hoc anno trium Cardinalium jacturam deplorabat, quos inter primus erat Joannes Franciscus Maurocenus, vulgo *Morosinus* dictus, patria Venetus, qui ex nobilissimo genere anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo septimo natus, naturæ beneficio raras animi, corporisque prærogativas consecutus est, & tam alieno ministerio, quam propria industria variis scientiis adeo exornatus evasit, ut tunc, cum Venetus Senator esset, in Sabaudiam, Gallias, Poloniam, Hispaniam, & Constantinopolim Orator dicereretur, in qua postrema urbe Catholicæ Religioni egregia prorsus præstitit

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

*Ciaccon. vit.*  
*Pontif. t. 4.*  
*pag. 190.*  
*Annal.*  
*Greg. XIII.*  
*Ughell. Ital.*  
*Sacra.*

Sæcul.XVI. fitit obsequia, effecitque, ut pro ritus  
A.C.1596. latini Christianis ad veram Religionem  
 contra hæreticos propugnandam qui-  
 dam Religiosi Theologi a Gregorio XIII.  
 submitterentur, a quo etiam Pontifice  
 Maurocenus vacanti interea Brixienfi  
 Episcopatu præficiebatur, ejusque e-  
 lectione a Sixto V. Gregorii Successore  
 confirmata in Gallias, ut protritæ ibi-  
 dem Religioni prospiceret, Nuntius A-  
 postolicus, demum vero anno Salutis  
 millesimo quingentesimo octogesimo o-  
 ctavo decima quinta Julii Cardinalis  
 Presbyter sanctorum Martyrum Nerei,  
 & Achillei nominabatur, eique ipsemet  
 Henricus III., ad quem pro componen-  
 dis simulatibus inter hunc Regem, &  
 Guisæ Ducem exortis mittebatur, præ-  
 sentibus Reginis, Regique Sanguinis  
 Principibus rubrum Galerum imposuit,  
 illumque in sinceræ benevolentiae testi-  
 monium duobus pinquissimis beneficiis  
 dotare voluit, quo tamen regio mu-  
 nere recusato Maurocenus Regem ita  
 alloquebatur. *Scito mi Rex, a Curia  
 Romana in Gallias me destinatum ad labo-  
 res exantlandos, non ad opes colligendas.*  
 Postquam vero Guisus Dux in Galliis  
 iniqua morte sublatus fuerat, non de-  
 erant, qui Mauroceum apud Sixtum V.  
 insimularent, perinde ac si in vindican-  
 da hac nece remissior negotium sibi  
 com-

commissum minus sincere gessisset: Sæcul. XVI. A.C. 1596.  
 quapropter Romam evocatus custodiæ traditur, sua tamen innocentia tutus nequidem Pontificis gratiam ignava submissione captare voluit, inquiens, *malle se innocentem plecti, quam turpiter liberari.* Ergo ipsius causa mature discussa, cum nonnisi calumniantium invidia ab æmulis accusatus inveniretur, non modo in pristinam Papæ gratiam rediit, sed ampliori dignitate auctus ad Cæsaris preces Hungariæ, & Germaniæ rebus præfectus est. Interfuit etiam sacris Comitibus, in quibus Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. summi Pontifices renuntiabantur. Tandem publicis negotiis solutus ad restaurandam Ecclesiæ suæ disciplinam Brixiam se contulit, cum ingenti applausu, ac magnifica prorsus pompa exceptus, hanc tamen communem Brixensium lætitiâ inopinâ Mauroceni mors brevi in summum luctum convertit; hoc enim anno die decima quarta Januarii apoplexia tactus ibidem obiit, postquam ætatis suæ annum quinquagesimum octavum cum tribus Mensibus expleverat, sepultus in Ecclesia sua Cathedrali: prius vero hic Cardinalis totam suam suppellectilem multis aureorum millibus æstimatam in pauperum subsidium testamenti

menti

Sæcul. XVI. A. C. 1596. menti tabulis reliquerat. Hic idem Cardinalis scientiæ eminentia suo affini Petro Morosino itidem Cardinali, qui in Concilio Constantiensi ingens sibi nomen comparabat, haud inferior præter plures orationes ad Principes dictas, sacrosque sermones, atque epistolas posteris etiam reliquit Doctrinæ Christianæ regulas, ac quædam statuta pro reformatione Cleri Brixienfis.

## §. XLIV.

*Philippi Segæ Cardinalis extrema.*

*Ciacon. l. 6.  
pag. 246.  
Cicarell. in  
vita Innoc.  
IX.*

Alter erat Philippus Segæ patria Mediolanensis, cujus nobilis prosapia apud Ravennates sub Ravaldorum nomine satis conspicua est. Hic præter humaniores literas præcipue jurisprudentia clarus anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo die vigesima tertia Septembris Doctorum Lauream emerebatur: postea vero ob insignem morum integritatem, ac singularem in rebus gerendis dexteritatem, & prudentiam sub Pio quarto, & quinto summis Pontificibus maximi momenti negotiis præficiebatur: regnante autem Gregorio XIII. Ripæ Trasonis Antistes anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quinto nominatus, fervente intestino bello in Belgium, & biennio post in Hispa-

Hispaniam, & Lusitaniam Nuntius Apostolicus decernebatur: inde vero rediit anno sequenti die tertia Octobris ad Placentinum Episcopatum, ad quem ex Ripano promotus fuerat, profectus, paulo post rursus in Hispaniam a Gregorio XIII. delegatus est, qua in legatione Carmelitis Discalceatis adversus eorum hostes adeo semper praesto fuit, eosque Regis ope implorata tam potenter defendit, ut merito ab eis *Ordinis Defensor* appellaretur. Defuncto hoc Pontifice ad Ecclesiam suam reversus illam juxta Concilii Tridentini decreta instituit, Synodumque celebravit: at denuo a Sixto V. in Germaniam ad Rudolphum Caesarem ablegatus tantopere pii hujus Principis benevolentiam sibi conciliabat, ut praeter alia, quibus auctus erat, beneficia Imperialem aequilam in gentilitiis insigniis gerere permetteretur: demum Legatus in Gallias a Sixto V. missus, atque in hoc munere a subsequentibus Pontificibus confirmatus pro Catholicae Ecclesiae incremento plurimum laborabat, unde tot meritorum suffragio ab Innocentio IX. Anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo primo die decima octava Decembris Cardinalis Diaconus renuntiabatur: anno autem Domini millesimo quingentesimo nonagesimo

Saecul. XVI.  
A.C. 1596.

Suppl. Pura  
puræ Doct.  
P. Eggr.  
fol. 458.



Sæcul. XVI. A. C. 1596. fimo quarto e Gallica legatione sua Romam reversus, & triginta septem Cardinalibus obviam missis perhonorifice exceptus a Clemente VIII. Presbyteris Cardinalibus accensebatur, obtento titulo sancti Onuphrii. Tandem omnium virtutum laude cumlatus hoc anno die vigesima nona Maji Romæ ex hac mortali vita decessit, in Ecclesia tituli sui sepultus, ubi ejus monumentum ab Hieronymo Agucchia utriusque Signaturæ Referendario ejus Nepote positum una cum sepulchrali elogio visitur. Hic idem facundia celebris, semperque præter plurima rationum momenta in promptu habebat elegantes sacræ Scripturæ, vel sanctorum Patrum sententias apposite suis sermonibus interjectas, præcipue vero summo plausu excepta, typisque ob præstantiam gallice, & latine edita celebratur ejus oratio, quam contra hæreticos in Galliis ad Catholicos habuit.

## §. XLV.

*Francisci Toleti Cardinalis fatum.*

**Ciacon. t. 4.** **P**ostremus denique inter Cardinales hoc anno defunctos erat Franciscus  
**pag. 278.** Toletus Cordubæ in Hispania die un-  
**Spond. n. 23.** decima Octobris anno restauratæ Salu-  
**Thu. l. 117.** tis millesimo quingentesimo trigesimo  
**pag. 770.** secundo humili loco natus, qui sacra-  
**Purp. Doct.** **lib. 5.** toribus

tioribus literis apprime excultus sub Sæcul.XVI.  
 Dominici Soto ex Ordine FF. Prædica- A.C.1596.  
 torum Doctoris Magisterio Theologiæ  
 operam navabat, demum vero ejusdem  
 Facultatis Magister creatus, Salman-  
 ticæ Anno a partu Virginis millesimo  
 quingentesimo quinquagesimo octavo  
 Philosophiam publice tradidit, atque  
 anno ætatis suæ vigesimo tertio ibidem  
 Societatem ingressus sub Paulo IV. sancti  
 Francisci Borgiæ jussu Romam contem-  
 dit, ubi in Collegio Romano Philo-  
 sophicas, & Theologicas disciplinas per  
 plures annos professus, atque Aldobran-  
 dini Cardinalis opera adjutus, post Bene-  
 dictum Palmium, Alphonsum Salmero-  
 nem, & Emanuele Sa Pio V. a Concio-  
 nibus esse jubebatur, quo munere plus-  
 quam viginti annis functus est, ac ma-  
 ximi momenti negotiis præfectus Com-  
 mendono Cardinali in Germaniam ad Cæ-  
 sarem, & Poloniæ Regem eunti, & Tur-  
 cicum bellum urgenti comes addebatur,  
 inde vero redux a Gregorio XIII. in Bel-  
 gium missus est, ubi Michaelem Bajum  
 argumentorum pondere ad palinodiam  
 compulit, quapropter idem Pontifex To-  
 letum a sui Ordinis obsequio liberans,  
 illum in Vaticano Palatio habitare jus-  
 sit: mortuo autem Gregorio XIII. To-  
 letus a Sixto V. ejus Successore Bibliis  
 recognoscendis præfectus, demum a  
*Hist. Eccles. Tom. LII.* G Cle-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.

Clemente VIII. in primis Comitibus Presbyter Cardinalis titulo sanctæ Mariæ Transpontinæ anno salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo tertio die decima septima Septembris primus e Societate sua renuntiatus est. Tandem laborum, ac negotiorum mole oppressus, meritisque plenus Romæ anno ætatis suæ ferme sexagesimo quarto die decima quarta ejusdem Mensis animam Deo reddidit, sepultusque fuit in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, cui multa aureorum millia in pios usus reliquerat: insuper Bibliothecam suam Collegio Romano Societatis Jesu legabat. Scripsit eruditus hic Cardinalis præter plurima Philosophica, & Theologica opuscula, præcipue Commentarios in Evangelia sanctorum Lucæ, & Joannis, necnon in epistolam D. Pauli ad Romanos: præterea existant adhuc præter ipsius epistolas varii sermones ab eo pronuntiati, quibus tamen ultima deest manus, ac propterea nondum publicam lucem aspexerunt.

§. XLVI.

*Quatuordecim Cardinales a Clemente VIII. Papa creati.*

*Ciac. vlt.*  
*Card. t. 4.*  
*pag. 287.*

Ceterum horum Cardinalium jacturam eodem hoc anno Clemens Pontifex abunde resarciebat, dum feria quarta

Sæcul. XVI.  
A.C.1596.

quarta die quinta Junii sacrum Collegium duodecim Presbyteris, & quatuor Diaconis Cardinalibus auxerat: quorum primus erat Silvius patria Romanus, Archipræsul Rossanus, Patriarcha Constantinopolitanus, & Avenionensis Vice - Legatus, Cardinalis titulo sanctæ Mariæ in via. II. Laurentius Priulus Venetus, ejusdem Republicæ Patriarcha, Cardinalis Presbyter titulo sanctæ Mariæ Transpontinæ. III. Franciscus Maria Taurusius in Etruria in Monte Politiano natus Julii III. Nepos, atque Avenionensis Episcopus Cardinalis titulo sancti Bartholomæi in Insula, demum vero sanctæ Mariæ supra Minervam. IV. Octavius Prandinus patria Florentinus, Firmianus Archiepiscopus Cardinalis titulo sanctæ Sabinæ. V. Franciscus Cornelius ex nobilissima Corneliorum familia Venetiis ortus, primo Abbas sanctæ Bonæ, ac postea Tarvisinus Antistes, demum vero Cardinalis titulo sancti Martini in Montibus. VI. Annas d'Escars natione Gallus Lexoviensis Episcopus, postea Cardinalis titulo sanctæ Susannæ. VII. Joannes Franciscus Blandratæ Comes Italus, Aquensis Episcopus, Cardinalis titulo sancti Clementis VIII. Camillus Burgheius Romanus Cardinalis Presbyter titulo

Sæcul. XVI  
A. C. 1596.

titulo sancti Eusebii, postea SS. Joannis, & Pauli, & denique S. Chrysoconi. IX. Cæsar Baronius Soræ in Neapolis Regno ortus, Annalium ecclesiasticorum Parens, Cardinalis Presbyter titulo sanctorum Nerei, & Achillei. X. Laurentius Blanchettis Bononiensis, Cardinalis titulo sancti Laurentii in Pane, & Perna. XI. Franciscus de Avila genere Hispanus, patria Abulensis, Ecclesiæ Cathedralis Toletanæ Archidiaconus, ibidemque Inquisitor Apostolicus, ac denique Cardinalis titulo sancti Sylvestri. XII. Ferdinandus Ninnus de Guevara itidem Hispanus, patria Toletanus Cardinalis Presbyter primo titulo sancti Blasii de Annulo, postea S. Martini in Montibus. Ceteros quatuor summus Pontifex Cardinalium Diaconorum classi aggregabat, quos inter primus erat Bartholomæus Cæsius Nobilis Romanus Cardinalis titulo sanctæ Mariæ in Porticu, postea inter Presbyteros annumeratus, dum primo titulum sancti Petri ad vincula adeptus, ac demum ad sanctæ Mariæ transtiberim, & postea ad sancti Laurentii in Lucina evectus fuit. III. Franciscus Mantica Utinensis ex portu Napolis oriundus, primo Cardinalis Diaconus titulo sancti Adriani, postea tamen ad varios titulos assumptus. III. Pom.

Pompejus Arigonius Romæ natus, Cardinalis sanctæ Mariæ in Aquiro, ac postea sanctæ Balbinæ. IV. Andreas Baronus, seu Perettus Cardinalis titulo sanctæ Mariæ in Dominica, & demum sancti Angeli in foro Piscium, quod tamen relicto ad quatuor diversos Ecclesiarum titulos vocabatur. Præter hos idem summus Pontifex die decima octava Decembris, eodem hoc anno unum duntaxat Cardinalium Collegio adscripsit: erat autem is Philippus Guilielmus Guilielmi Bavariæ Ducis Filius.

Sæcul XVI.  
A.C.1596.

§ XLVII.

*Petri Angeli Barga decessus.*

Ceterum hic idem annus erat nonnullis Scriptoribus ecclesiasticis exitialis: ex his autem primo loco recensendus venit Petrus Angelus Barga in quodam Etruriæ oppido natus, qui suam adolescentiam variis peregrinationibus exercitaturus totam ferme Græciam, atque Asiam perlustrabat: inde vero redux Pisis in florentissimo Italiæ Gymnasio humaniores literas per plures annos non sine magno Auditorum applausu publice tradiderat, sibi que tam in arte Poetica, quam in dicendi facundia ingens comparabat nomen, postea vero Ferdinandum Medicæum, qui tum Cardinalitiam dignitatem nondum

Thu. l. c.

**Sæcul. XVI.** A. C. 1596. exuerat, Romam comitatus, aliquam-  
 diu ibidem morabatur, ubi literarum  
 otio liberaliter indulgens, plurima præ-  
 clari ingenii sui monumenta posteris re-  
 liquit, ex quibus ejus libri de venatio-  
 nibus celebrantur. Hujus Scriptoris  
 mentionem facit Author eruditi Lexi-  
 con, illumque fuisse Cardinalem, per-  
 peram scribit, cum nullibi in Purpura-  
 torum Albo illius nomen legatur, imo  
 constat, quod ex uxore sua filiam no-  
 mine Virginiam reliquerit, quæ Patris  
 sui cadaver in magnifico Boccarensum  
 Nobilium tumulo, id permittente Jo-  
 sepho Bocca, in Cathedralis Ecclesiæ  
 cæmeterio recondi curavit. Obiit An-  
 gelus Pisis die ultima Februarii anno  
 ætatis suæ septuagesimo octavo.

§. XLVIII.

*Emanuelis Sa, & Caroli Sagerii  
 extrema.*

**Bibl. Script.** Præter Toletum Cardinalem ex eadem  
**Soc. p. 102.** Societate duo celebres Theologi  
**Es p. 69.** hunc annum vitæ suæ funestum experti  
**Miræus de** sunt, ex quibus primus erat Emanuel  
**Script.** Sa natione Lusitanus, patria Interam-  
**Sæcul. XVI.** nensis in oppido villa de Conde anno  
 post Christum natum millesimo quin-  
 gentesimo vigesimo primo natus. Non-  
 dum is decimum quintum ætatis suæ  
 annum attigerat, cum jamjam Couim-  
 bricæ

bricæ Societatem ingressus ibidem tan- Sæcul. XVI.  
 ta ingenii felicitate literis operam na- A.C.1596.  
 varet, ut anno ætatis suæ decimo se-  
 ptimo Gandiæ Philosophiam publice  
 Academicis, & privatim sancto Fran-  
 cisco Borgiæ tum Gandiæ Duci trade-  
 ret, atque anno salutis nostræ millesi-  
 mo quingentesimo quinquagesimo se-  
 ptimo Romam missus Theologiam do-  
 ceret: demum Bibliorum editioni  
 recens corrigendæ interesse a Pio V.  
 jussus Mediolanum contendit, exacto-  
 que decennio Romam reversus ibidem  
 per multos annos sacras literas inter-  
 pretatus est, simulque, ut testatur Mi-  
 ræus, Ecclesiasten Pontificium egit,  
 tot vero laboribus, ac continuo studio  
 exhaustus, ut quietioris vitæ beneficio  
 vires restauraret, Aronam Mediolanen-  
 sis Diæcesis oppidum secessit, ubi rudi-  
 bus in Christiana doctrina imbuendis,  
 ac Confessionibus excipiendis residuos  
 vitæ suæ dies insumperat, ac tan-  
 dem die trigesima Decembris ætatis  
 suæ septuagesimo quinto, exactis in  
 Societate annis sexaginta, & uno de-  
 cessit. Scripsit in quatuor Evange-  
 lia quædam Scholia, quæ succin-  
 cta quidem, sed erudita, atque ex  
 selectioribus Doctorum sententiis col-  
 lecta anno Domini millesimo quingen-  
 tesimo nonagesimo sexto Antverpiæ e-  
 deban-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1596.  
debantur, tertio autem post anno ibidem Plantinianis typis, necnon anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo Coloniae prodibant ejusdem adnotationes in totam sacram Scripturam: celebrantur quoque illius Aphorismi Confessariorum novissime Duaci anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo vulgati, notisque illustrati opera Andreæ Victorelli.

Alter erat Carolus Sagerius natione Gallus Bellovacii in Picardia anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo nono natus, qui anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Billomi Philologiam, græcasque literas, ac Parisiis, & Turrone Theologiam professus, ubique singularem pietatem cum ampla eruditione conjunxit, eaque simul erat morum suavitate præditus, ut ipsos hæreticos non modo argumentorum efficacia debellaret, sed illos etiam sibi benevolentia obstringeret. Edidit is Commentarios in Epistolam Divi Judæ, & sancti Pauli ad Romanos, & Ephesios præter tractatum de institutione sodalitatum: concinnabat etiam locos communes ex sacris Doctoribus adversus hæreticos, quos tamen morte præventus evulgare præpediebatur; obiit enim Turrone die vigesima quarta  
Maji

Maji sublatu veneno Chalanconi (ut Sæc. XVI. A.C. 1596. putatur) ab hæreticis propinato. Ceterum huic Scriptori illud peculiare, atque inter paucos proprium accidit, quod secum tres fratres suos, ac demum ipsum Patrem Societati adscriptos cernere potuerit.

§. XLIX.

*Petri Pithæi obitus.*

Nec prætermittendus est Petrus Pit- Possiv. in appar. verbo Petras. Thu. p. 772. hæus, qui Augustobonæ prope trekas in Campania die prima Novembris anno millesimo quingentesimo trigesimo nono primam lucem aspexit. Is nobili familia ex inferiori Neustria oriundus tam Parisiis, quam in Bituricensi Collegio cum ingenti progressu studiorum curriculum emensus est: cum autem primævo naturæ beneficio ad literas, & reconditarum rerum cognitionem non minus sagax, quam indefessum consecutus esset ingenium, assidue in Bibliothecis veterum scripta evolvere satagebat, ut ea vel a mendis, vel ab interitu vindicaret, unde tam ampla rerum historicarum eruditione imbutus, ex antiquis Diplomatis, & monumentis tam de Galliæ, quam aliis regnis Historiam omnibus numeris absolutam concinnabat, in qua populorum originem, familiarum successionem,

Sæcul. XVI. A.C. 1596. foedera, leges, moresque Provincia-  
rum, & urbium rara crisi, ac singulari  
studio cum tanto applausu descripsit,  
ut vulgo *Gallicus Varro* nominaretur:  
nec tamen hujus studii limitibus inge-  
nii sui vastitas circumscribi poterat;  
tantopere enim sub Jacobi Cujacii ma-  
gisterio in Jurisprudentiæ disciplina pro-  
fecerat, ut Præceptorem suum super-  
asse videatur: insuper judicii sui felici-  
tate, atque assidua rerum forensium  
lectione, usuque adjutus de iis etiam,  
quæ Reipublicæ summam spectant, tam  
sapienter deliberare, consiliorum exi-  
tus prospicere, periculosisque eventibus  
opportune obviare noverat, ut tot  
meritis unice suffragantibus in suprema  
Parisiensi Curia Cancellarius nominare-  
tur. Referunt nonnulli, quod primum  
paulo ante Parisinam lanienam Catho-  
licæ Religioni nomen dederit, id ta-  
men vero haud simile est: ast utut res  
se habuerit, id omnino certum, quod  
hoc anno eadem die, qua natus, No-  
viginti ad sequanam, quo pestilentia  
Parisinam urbem depopulante secesse-  
rat, anno ætatis suæ quinquagesimo  
septimo extremum diem clausit: prius-  
quam vero mortis invidia vivis sublatus  
fuerat, ipse vitæ suæ historiam jucun-  
do prorsus stylo concinnabat: porro  
moriens Conciliorum Gallicorum a se  
soler-

solenter digestorum collectionem Francisco Fratri suo pariter Cancellario reliquerat, dato negotio, ut eam publici juris fieri curaret. Præterea Pithæus Catalogum omnium Præfulum civitatis Trecentis, pluraque alia vel cum aliis antiquis Codicibus collata, vel notis illustrata edidit, inter quæ præcipue recensendus venit liber Fæbadii contra Arianos, Salviani de vero iudicio, Nicephori Chronologia, Historiæ miscellanæ a Paulo Aquilejensi Diacono collectæ, & a Landulpho auctæ, pluresque alii veteres ejusmodi Auctores ab eodem Pithæo illustrati: scripsit etiam historiam controversiæ veteris de processione Spiritus sancti, necnon collectionem Mosaicarum, & Romanarum legum, præter plurima alia varii argumenti opuscula.

§. L.

*Nicolai Vignerii exitus.*

Plures equidem Scriptores ex Protestantibus hoc anno decesserunt, hi tamen aut minoris sunt auctoritatis, aut inter Auctores ecclesiasticos nullum sibi locum vendicant: nihilominus Nicolaus Vignerius ob suam historiam ecclesiasticam, quam ejus filii Nicolaus, & Joannes post ipsius obitum ediderant, huc referri meretur. Erat is anno a  
Christi

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

Thu. p. 771.

Sæcul. XVI. A.C. 1596. Christi Nativitate millesimo quingentesimo trigesimo Barrii Burgundiæ oppido ad Sequanam in Campania nec tenuis fortunæ, nec obscuri generis Parentibus natus, patrisque sui, qui regium agebat Advocatum, cura, ac sollicitudine variis disciplinis imbuebatur: postquam vero in Galliis civilia bella exardescere cœperant, ac Regis edicto in Calvinistas suæ sectæ pertinaciter inhærentes varia supplicia decernebantur, ipse etiam Vignerius amissa potissima bonorum suorum parte Regno excedere, ac in variis Germaniæ Principum aulis aliquamdiu artem medicam profiteri cogebatur: inde vero in Franciam Parisios reversus ab ipso Rege inter Archiatros connumeratus est, cumque præter Philosophiæ studium præcipuam haberet Historiæ cognitionem, eapropter honorificis stipendiis Franciæ Historiam concinnare iussus, secundis Musis opus Chronologicum edidit, in quo a mundi exordio rerum, temporumque ratione ad exactum calculum revocata Regnorum initia, conversionem, genuinas populorum, & familiarum origines admirabili judicio digessit: nihilominus huic viro cetera laudatissimo id vitio datur, quod non sine veritatis, debitæque submissionis dispendio nonnunquam acrius in Ecclesiam,

fiam, fummosque Pontifices pro more hæreticorum investus fuerit. Tandem Sæcul XVI.  
A. C. 1596.  
Parisiis anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, ætatis vero suæ sexagesimo sexto obiit, atque inter præcipua ingenii sui monumenta posteris reliquit. I. Fastos Antiquorum Hebræorum, Græcorum, & Romanorum. II. Librum de regia Capetorum familia. III. Sermonem de Nobilitate. IV. Historiam de Lucemburgensi domo. V. Summarium Historiæ Francicæ, præter alia quædam opuscula Historica.

## §. LI.

*Joannis Bodini interitus.*

Præfati Vignerii obitum paulopost sequebatur decensus Joannis Bodini, qui Andegavi natus, percurso studiorum curriculo in Carmelitarum cœnobio, ut fertur, vitam religiosam professus est; ast immaturæ ætatis vitium caussatus, ac Religionis voto solutus Tolosam venit, ubi linquarum studio, ceterisque literis, ac præcipue jurisprudentiæ sedulam navans operam in Foro Parisiensi Advocatum agebat: contentiosæ tamen hujus militiæ pertæsus elucubrandis libris totum sese dicabat, atque primo Commentarium in Oppianum de venatione, dein anno salutis nostræ

*Teiffier ad-  
dit. Tom. II.  
Sanmarth.  
elog. l. 4.  
Thuan, l. 6.*

Sæcul. XVI. nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto suam *Methodum ad facilem Historiarum cognitionem* edidit: mox vero animum ad majora appulit, & præter suas dissertationes de re Monetaria contra Malastratum vulgatas præclarum *de Republica* opus sex libris comprehensum publici juris fecit, quo sibi tantam apud Literatos famam comparabat, ut ab ipsomet Henrico III. Parisios accersitus, sæpius familiaris colloqui honore dignaretur, tanti ab hoc Principe habitus, ut ejus jussu Joannes de Serra, qui mordaci scripto Bodinum lacesserat, in vincula conjiceretur, indicta etiam capitis pœna prohibitus, ne hoc scriptum in vulgus spargeret: cum vero insolito hoc Regis favore quorundam, qui in aula plurimum auctoritate valebant, æmulationem, invidiamque sibi accerseret, seque Regis gratia excidisse cerneret, Francisci Alensonii Ducis foederatorum in Belgio partibus addicti obsequio sese sacrabat, a quo variis, ac perhonorificis dignitatibus decoratus in Angliam, & Belgium cum ipso contendit: postea unacum hoc Duce anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo septuagesimo sexto in Franciam reversus, Laudani Regius Procurator nominabatur, eodem tamen anno libellorum supplicum  
Magi-

Magisterio exuebatur, eoquod in Ble-  
 fenlibus comitiis acrius plebæi Ordinis  
 jura propugnaret, ac nimia libertate se  
 illis opponeret, qui in cunctis Regi subdi-  
 tionibus Catholicæ Religionis usum  
 propagare nitebantur: cum autem suos  
 conatus in irritum cadere cerneret,  
 quamvis antea Protestantium sectæ addi-  
 ctus crederetur, neque tunc ab ea multum  
 alienus esset, foederatorum tamen so-  
 cietati nomen dedit, & nonnunquam  
 vehementius contra Regem declama-  
 vit, mox tamen iterum resiliuit, non  
 modo in partium studio inconstans, sed  
 & in ipso Religionis selectu animo flu-  
 ctuans, prout patet ex ejus Dialogo de  
 Religionibus, cui sequentem præfixit ti-  
 tulum: *Heptaplomeron, sive de abditis re-  
 rum sublimium arcanis*, in quo libro, huc-  
 usque tamen nondum typis edito, cun-  
 ctis Religionibus Judaicam præferebat,  
 ac propterea eidem huic superstitioni  
 immortalis dicebatur: obiit autem  
 Laudani ineunte Mense Majo hoc anno,  
 ætatis suæ sexagesimo septimo pestifera  
 lue correptus. Edidit is sex libros *de  
 Dæmonomania Magorum*: porro quam-  
 vis adversus Joannem Wierium refuta-  
 tionem de lamiis vulgasset, nunquam  
 tamen magicæ rei, & vetitarum ejus-  
 modi artium crimen effugit: insuper  
 præter novam distributionem *Juris uni-  
 versi*

Sæcul. XVI  
 A.C 1596.



Sæcul. XVI. A.C. 1597. *versi in tabula adumbratam paulo ante obitum suum prælo subjecerat librum, cui titulus: theatrum universæ naturæ: demique se præsentem, dum ferme cum morte luctaretur, libros de Imperio, & Jurisdictione, & legis actionibus, necnon de Decretis, & Judiciis comburi jussit.*

## §. LII.

*Fratres Prædicatores violati silentii a Jesuitis postulati.*

*Hist. Congr.*  
*l. I. c. 17.*  
*Hist. contr.*  
*P. Meyer t. I.*  
*pag. 798.*  
*Argent.*  
*coll. jud.*  
*2. 3. p. 168.*

**I**neunte hoc anno salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo septimo inter Dominicanos, & Societatis Patres pristina recrudit discordia, occasione desumpta ex ipsa silentii lege tam a summo Pontifice, quam a Philippo II. Hispaniarum Rege imposta; cum enim Papa hac de re duplex conderet Decretum, ac primo quidem duratim prohibuisset, ne quisquam alterius partis doctrinam circa quæstiones de gratia censuris perstringere auderet, altero autem omnino quamcunque de hoc argumento disputationem instituire inhibuisset, Arragonicæ Provinciæ Patres Prædicatores, apud quos non nisi primum decretum fuit cognitum, promulgatumque, a publicis disputationibus non abstinebant, inde vero Patres Societatis ansam captabant, quod eosdem Fratres Prædicatores  
apud

Sæcul.XVI.  
A.C.1597.

apud Nuntium Apostolicum, sacrae Inquisitionis Ministros, atque ipsum Ordinis Generalem Magistrum, de violatis Papæ, sacraeque Inquisitionis decretis accusarent, eisque omnibus silentii legem imponi peterent, caussati, quod Prædicatores suis disputationibus scandala concitassent, & contra Regis Catholici edictum erga Jesuitas infensum præferrent animum. Enimvero hæc accusationum capita apud hosce Judices adeo prævalebant, ut hujus Provinciæ Dominicanis de divina gratia disputandi facultas omnino interdiceretur, cui etiam edicto hi quidem debita submissione interim morem gesserunt, rationum tamen suarum momenta literis ad Ordinis sui Magistrum Generalem Valentiaë hoc anno vigesima quinta Aprilis die datis exponere, sibi integrum fore censebant, simulque apud Philippum II. Hispaniæ Regem querebantur, quod Jesuitæ ad publicas Dominicanorum disputationes quosdam emisissent, eo fine, ut hi argumenta subdole ad prohibitas quæstiones detorquere niterentur. Recenset præterea P. Meyer Jesuita in sua controversiarum Historia P. Dominici Bannez libellum supplicem, quo hic a Clemente VIII. Fratres Prædicatores a silentii lege eximi postulabat, hunc vero libellum

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

H lum

Sæcul. XVI. lum a Bellarmino jussu ejusdem Papæ  
 A.C. 1597. fuisse confutatum idem Author refert.

§. LIII.

*Libellus supplicis Hieronymi de la Nuza  
 Provincialis.*

*Hist. Congr* Fratrum Prædicatorum Theologicum  
*l. 1. c. 25. &* interdicta hæc quæstiones agitan-  
*lib. 5. sect. 3.* facultate veritati præjudicium, erro-  
*cap. 14.* neis vero opinionibus auctoritatem tri-  
 bui existimarent, idcirco inter ceteros  
 Dominicanos præprimis Hieronymus  
 de la Nuza tum Provinciæ Arra-  
 goniciæ Provincialis, ac postea Al-  
 barescinensis Episcopus die vigesima se-  
 cunda Augusti currente hoc anno Phi-  
 lippo II. Hispaniarum Regi libellum sup-  
 plicem porrigebat, in quo non sine ma-  
 ximo Ordinis sui, ac veritatis dispen-  
 dio injunctum querebatur, ne in Ca-  
 thedris, privatisque disputationibus de  
 divinæ gratiæ auxiliis ageretur, cum  
 tamen tanta sit hujus materiæ ampli-  
 tudo, ut servato hoc edicto Theologiam  
 nonnisi ad paucissimas quæstiones re-  
 stringere oporteret, semperque Profes-  
 sores, & Concionatores innumeris agi-  
 tarentur scrupulis, ne forte Ecclesiam  
 offenderent, aut Papæ mandatum vio-  
 larent, vel a suis æmulis tanquam le-  
 gis violatores traducerentur: insuper  
 idem Pater Provincialis exponebat,  
 haud

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

haud tolerandum videri, quod veterem Divi Thomæ Doctrinam ab universa Ecclesia deprædicatam adversus dogma hodie natum propugnare prohibeantur, hacque ratione ex pacifica possessione perturbentur, cum tamen ipsemet Apostolus depositum custodiri, & profanas rerum novitates, ac oppositiones falsi nominis scientiæ devitari juberet: insuper addebat, quod inter Religiosos Ordines circa doctrinam de gratiæ efficacia semper in Hispania, usque dum novus Molinæ partus in lucem editus fuit, pax servata fuisset, aliunde vero hi Patres suas quotidie opiniones obtrudere solerent, sibi tamen ab aliis quovis pacto contradici adeo ægre ferrent, ut Principum aulas clamoribus impleant: eapropter Canariensis Episcopus mala exinde oritura deplorans (\*) dixisset: *si, quo pede cæperunt, Patres Societatis pergere permittantur, faxit Deus, ne tempus tandem adveniat, quo Reges eis obsistere velint, nec possint.* His adjecit Hieronymus de la Nuza: „timeo, ne mandatum hoc perpetuum inter societatem, & Dominicanos rixarum seminarium sit. His prolatis querelas, quas Patres Societatis adversus Prædicatores protule-

H 2

(\*) Epistola Melch. Cani ad P. Regle Caroli V. Cæsaris Confessarium data.

Sæcul. XVI  
A. C. 1597.

tulerant, refellere nisus, tandem huic libello supplici finem imponit hæc subjungens: *cum pacem Jesuitas inter, & nos vehementer optet vestra Majestas; spondeo, me eam pro viribus promoturum, cumque ad eam promovendam necesse sit, ut ad illos, qui de nobis ita temere queruntur, non accedamus, rogo Majestatem vestram, ut id nobis benigne concedat, atque ad omnes rixarum occasiones præsciendæ nobis inhibeat, ne de nobis invicem ullo modo dicamus; neve authores vel nominemus, vel notis afficiamus; ne demum ad Scholasticos actus mutuo veniamus: spondemus nos omnia ad amissum servaturos, nec de iis, eorumve auctoribus, opinionibus, aut libris memoriam ullam habituros: quemadmodum enim trecentis annis adeo sine illis floruit Ordo noster, ut universo orbi in deliciis, & admiratione fuerit, ita sine ipsis Deo favente perseverabit, ad omnia tamen officia paratissimus. Hanc epistolam stylo antiquiori ab hoc Episcopo fuisse conscriptam fatetur ipsemet Scriptor Historiæ Congregationum de Auxiliis.*

§. LIV.

*Hujus libelli supplicis fatum.*

*Hist. controuv.  
de auxil. l. 2.  
cap. 29.  
Hist. Con-  
v. g. l. c.*

Postquam Philippus Rex hunc libellum supplicem, quo FF. Prædicatores silentii legem rescindi, aut saltem

tempe

temperari petebant, attentiori animo ponderaverat, iisdem respondit, rem esse urgendam apud summum Pontificem, qui servandi silentii necessitatem indixisset, se vero ea curaturum, quæ proprii juris, atque auctoritatis essent. Accepto hoc responso Patres Dominicani ipsum Clementem Papam conveniendum esse autumabant, quocirca Dominicus Bannes celeberrimus ejusdem Ordinis Theologus eundem hunc libellum contraxit, atque hoc anno die vigesima octava Octobris latine reddidit, ipse vero Generalis Magister Michaellem Bonellum Cardinalem Alexandrinum crebris epistolis sollicitabat, ut Clementi Papæ, apud quem hic Purpuratus plurimum gratia valebat, hunc libellum porrigere vellet. Annuit hic Generalis Magistri precibus: Pontifex vero hoc idem scriptum Roberto Bellarmino Jesuitæ tradidit, eo fine, ut suum desuper iudicium scripto completeretur, quod ipse etiam præstitit, simulque rationes in hoc libello allatas confutare aggressus, impositum utrique parti silentium nihil Scholis officere contendebat, dummodo id diuturnum non foret: insuper habito tamen hoc Bellarmini iudicio summus Pontifex per Cardinalem a sancta Severina ad Patriarcham Cajetanum tum Sedis Apo-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1597.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

stolicæ Legatum anno sequenti die vigesima sexta Februarii perscribi, ac Patribus Dominicanis significari iussit, quod Sanctitas sua factam prohibitionem moderando eis facultatem concedat, ut libere possint de Divinæ gratiæ efficacia conformiter ad Doctrinam sancti Thomæ legere, ac disputare, prout antea fecerunt: pariter Pontifex Patribus Societatis eandem relaxati silentii gratiam significari præcepit, adjecta tamen hac restrictione, ut quidem de eadem materia legere, & disputare possent, tradendo tamen semper sanam, & Catholicam doctrinam: verum ex hac ipsa Pontificis concessione novæ oriebantur controversiæ, uti ad annum sequentem referemus.

§. LV.

*Congregationum de auxiliis præludia  
Romæ inchoata.*

*Hist. Controv. l. 2. cap. 21.*  
*Hist. Congreg. de aux. l. 5. sect. 3. c. 14.*  
*Abreg. chron. de l'hist. Eccl. tom 3. p. 342.*

Eodem anno Mense Junio Didacus Alvaresius Prædicatorum in Hispania Procurator, qui jam anno prior die septima Novembris Romam pervenerat, summo Pontifici libellum supplicem obtulit, petens, ut, donec elucubratae utriusque partis defensiones ex Hispania Romam deferrentur, interea Molinæ librum de concordia, necnon ejusdem Commentarium in primam Divi

Divi Thomæ partem a selectis Cenforibus examinari juberet, quatenus tunc, si hic liber inventus fuerit perniciosus, prohibeatur, cum ex hac ipsa dilatio-  
 ne periculum imminere comprobetur, juniores enim Theologi, ut exponebat „Alvaresius, qui juventutis animositate, „nova quæque curiosa in Mysterio tam „difficili facile amplectuntur, cum ma- „gna postea difficultate ( si semel vene- „num alicujus falsæ doctrinæ imbibe- „rint) veram, & antiquam liberi ar- „bitrii cum gratiæ donis concordiam su- „stinebunt., Præter hunc libellum insu- per Alvaresius succinctam Prædicato-  
 rum Apologiam Cardinali Alexandrino obtulit, qui eam hoc ipso mense Cle-  
 menti VIII. porrexit: insuper die vigesi-  
 ma tertia Octobris Henricus Henriquez  
 e tyrocinnio Dominicanorum, ut ipse-  
 met testatur, ad Jesuitas reversus  
 jussu Clementis VIII. de Molinæ Do-  
 ctrina censuram priori adhuc sæve-  
 riorem Romam misit, cujus Autogra-  
 phum Romæ in secretiori Patrum Au-  
 gustinianorum tabulario asservatur, ubi  
 inter alia hoc judicium fert: *hic liber  
 viam parat Antichristo, dum contra merita  
 Christi, & gratiarum auxilia, & prædesti-  
 nationem plurimum tribuit viribus naturali-  
 bus liberi arbitrii . . . . Si ejusmodi do-  
 ctrina ab emundæ nris Viris, ac Religiosis*  
 H 4 pro-

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1597.



Sæcul. XVI *propugnabitur, tota Ecclesia discrimini exponetur, ac plurimorum Catholicorum ruinam promovebit.* Eodem quidem die, & anno priori Petrus Protocarerius Generalis inquisitor quam plurimas virorum eruditorum Censuras ad eandem Urbem in quadam lignea cista transmittabat, inter eas tamen Inquisitionis Notarius in sua scheda anno millesimo sexcentesimo primo Jesuitis tradita præfatam Henriquezii censuram minime repositam testatur, quod forte ex eo evenit, quia illam Henriquezsius separatim, ac tardius Romam miserat, vel ea nimis acerbo calamo conscripta fors suppressa fuerat. Attamen ut res se habuerit, id omnino certum est, quod Ludovicus Molina, cum sibi ab Alvarezio, aliisque Doctoribus litem Romæ intentatam esse haud ignoraret, circa Mensem Julium porrecto libello supplicii Clementem VIII. impense rogaverit, ut si quid in suo libro censura dignum reperiri contingeret, id sibi communicaretur, quatenus doctrinæ suæ rationem reddere valeret, quam in rem tanquam Procuratores suos constituit Bellarminum, & Arubalem ambos Jesuitas.

§. LVI.

Sæcul. XVI.

A.C.1597.

*Examinatores pro discutienda Molinæ Doctrina a summo Pontifice nominati.*

Jam per quinque omnino menses tam *Hist. controvers. & Congreg. h.c.*  
 Prædicatorum Apologia, quam aliorum Doctorum lucubrationes Romæ serio perpendebantur: ne autem in negotio tam arduo quicquam aut præcipiti consilio, aut privati favoris, vel odii impetu actum videretur, summus Pontifex ineunte Mense Novembri hoc anno expertissimos causæ cognitores nominabat, qui Molinæ librum nulla habita ratione illarum lucubrationum, quas utriusque partis Doctores transmiserant, seorsim, privatoque labore expenderent, ac præmissis hoc examine tunc demum pro adornanda censura mutuo conferrent: hanc in rem Pontifex studiose nec ex Societate, nec ex Dominicanorum familia quempiam nominavit, sed tales varii Instituti viros selegit, qui ab omni partium studio alieni credebantur: erant autem sequentes. I. Propertius Resta Carientensis Episcopus. II. Julius Sanctutius Antistes Agathensis. III. Lelius Landus Nardinensis Præsul. IV. Henricus Sylvius Vicarius, Apostolicus Ordinis Carmelitarum. V. Franciscus

H 5

Brussus

Sæcul. XVI. A.C. 1597. Brussus Procurator Generalis Ordinis S. Francisci. VI. Joannes Baptista Plumbinus Ordinis S. Augustini. VII. Gregorius Nunnus Coronellus ejusdem Ordinis Doctor. VIII. Ludovicus de Creil Doctor Sorbonicus, ad quorum numerum postea cooptati sunt Jacobus le Bassu Ordinis S. Benedicti Doctor Sorbonicus, Joannes Bovius Regens Collegii Romani Carmelitarum, & Hypopolitus Masserius Ordinis Servorum, postea Montis Pelusii Episcopus. His præfecti erant Ludovicus Madrutius Cardinalis, Episcopus Tridentinus, & Pompejus Arigonius: porro rebus ita dispositis primum inchoabatur examen, quod undecim Congregationibus, seu Censorum conventibus absolutum est.

## §. LVII.

*Bellum in Belgio vario successu continuatum.*

*Thu l. 118.*  
*Gallut. de*  
*Bello Belg.*  
*l. 9. Spönd.*  
*hoc anno*  
*num. 1.*

Initio anni millesimi quingentesimi nonagesimi septimi res in Belgio inter Hispanos, & Fœderatos Ordines parique dimicantium ardore, alternante tamen fortuna utrinque gesta est; capta enim Hulstana urbe Albertus Belgii Gubernator variis in locis militum delectus haberi, recentemque hanc militiam Tornohuti convenire jussit, eo fine, ut Fœderatos Ordines crebris excu-

excursionibus Brabantiam infestantes Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.  
 cohiberet: eam in rem ineunte mense  
 Januario ad præfatam urbem Marcum  
 Riam Varassii Comitem unacum qua-  
 tuor peditum millibus, equitibusque  
 trecentis præmittebat, cum autem hic  
 in loco nec situ, nec arte munito ca-  
 stra posuisset, mox Mauritius Nassovius  
 supremus Fœderatorum Ordinum Bel-  
 lidux ad omnem strenue gerendæ rei  
 occasionem intentus maxima, qua po-  
 tuit, celeritate ex vicinis præsidiis se-  
 ptem ferme millia partim pedites, par-  
 tim equites contraxit, atque ad Ger-  
 frudis oppidum conduxit, quo ipse e-  
 tiam die vigesima prima Januarii cum  
 ceteris Belliducibus, ac quingentis aliis  
 peditibus pervenit, altera autem die  
 instructis ordinibus Revelium prope  
 Tornohutum contendit.

## §. LVIII.

*Hispani a Mauriti copis cæsi.*

**N**ec adeo occultus erat bellicus Mau- Thu: 88  
Gall. l. 6.  
 ritii apparatus, ut Varassii Comi-  
 tis vigilantiam lateret: eapropter Tor-  
 nohuto, cum de hujus loci firmitate  
 diffideret, excedens in aperto campo  
 hostem aggredi, motisque castris He-  
 renteliam, oppidum trium duntaxat  
 horarum itinere Tornohuto dissitum,  
 contendere statuit: de hac autem pro-  
 fectione

**Sæcul. XVI.** fectione certior factus Mauritius nulla  
**A.C. 1597.** mora Franciscum Verium Equitem An-  
 glum cum ducentis Sclopetariis ad exi-  
 guum flumen præmittit, qui etiam pri-  
 mo impetu triginta illos dispulit Sclo-  
 petarios, quos Varasius eo collocave-  
 rat, ut hostem transvadare conantem  
 præpedirent: superato igitur angusto  
 hoc vado Mauritius die vigesima quarta  
 Februarii nequidem expectato pedita-  
 tus adventu Philippo Hochenlojo, &  
 Solmensi Comiti negotium dabat, ut  
 cum quadringentis Equitibus primam  
 hostis aciem aggrederentur, qui etiam  
 repentina violentia in Germanos irruer-  
 unt, hi tamen tanta pertinacia, in-  
 fractaque fortitudine resistebant, ut  
 certamine ad horæ dimidium protracto,  
 plurimisque utrinque cadentibus ne  
 victi quidem palmam concessissent, nisi  
 dubiæ adhuc pugnæ Mauritius cum  
 toto suo Equitatu, & peditatu super-  
 venisset, unde primo Regii Equites re-  
 centium hostium concursu, ac numero  
 oppressi, ac postea pedites Equitatus  
 præsidio destituti solutis ordinibus sese  
 fugæ committere cogebantur: insuper  
 eodem tempore Verius, & Sidneus  
 Angli unacum Mauritiæ peditatu in po-  
 stremam Italorum aciem effundebantur,  
 ad quam, cum sævior ibi conflictus fer-  
 veret, Varasius Comes accurrens sclo-  
 peti

peti ictu trucidatus est, nihilominus Hispani Equites, cum in rebus desperatis per suam fortitudinem ceteris amissis omnia reparanda confiderent, prælium redintegrare statuunt, signoque tubis dato Mauritanos invadunt: ast hostium circumfluentium numero obruti cædem suorum, non prælium relicta Mauritio victoriæ summa restaurare, in hoc solo gloriosi, quod paucorum adversus longe plures audacia suorum cladem haud inultam reliquerit: ex regio tamen exercitu bis mille, & amplius occisi traduntur, capti vero præter juniorem Comitem Mansfeldium circiter sexcenti, ex quibus tamen ferme quadringenti restaurato, ut memoravimus, prælio a Mauritanis cæsi fuerent, ne a fociis liberati sese illis jungerent, aut quid novi molirentur: Septimus vero Fabius Nobilis Romanus graviter faucibus inter mortuorum cadavera aliquamdiu jacuerat, atque a lixis tanquam mortuus spoliabatur, tandem vero a Mauritio agnitus humaniter excipiebatur. Parta hac victoria primo ipsum oppidum mænibus nudum, tertia vero die arx quoque in Mauriti potestatem venit, militum deprædationi relicta. Demum Victor imposito arci præsidio cum captivis Budam, inde vero Hagam Comitis reversus est.

§. LIX.

Sæcul.XVI.  
A.C.1597.

Sæcul. XVI.

§. LIX.

A.C. 1597.

Bellum inter Gallos, & Hispanos  
continuatum.*Thu. Spond.**l. c. Gall.**pag 370.**Daniel hist.**de France.*

Verum hujus oppidi jactura inopino variantis fortunæ beneficio adeo copiose refarciebatur, ut exinde Gallorum res plurimum turbatæ, Hispanorum vero potenter erectæ ad pacem inter ambos Reges pangendam haud exiguum momentum afferrent; postquam enim Dorlanum, munita Picardiæ Urbs, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto ab Hispanis occupata fuerat, a Fontano Comite illius Gubernator nominabatur Ferdinandus Tellius Protocarerus Bellidux longa armorum exercitatione efferatus, qui sæpius Ambianum Picardiæ Metropolim sexta, vel septima leuca Dorlano distitam, cum illa adhuc foederatis pareret, attentamente perlustrans, illius situm, cunctaque munimenta satis perspecta habebat, semperque in magnanimo suo pectore hanc urbem Hispano Regi suo subjiciendi consilia agitabat, eoque sæpius sub ementito Religiosi, Rustici, vel pauperis habitu contendens, urbem a solis civibus securitatis fiducia sopitis negligentius custodiri deprehendebat; accessit quoque ad grande hoc facinus tentandum connobii jungendi cupiditas cum

cum quadam prædivite Ambianensi vi-  
 dua, quæ Protocareri nuptias minus  
 decoras existimabat, nisi ipse vel Dor-  
 lanum Gallico Regi, vel Ambianum  
 Hispano Regi vindicaret: sub idem tem-  
 pus peropportune quidam Damelinus  
 nomine, Ambianensis civis, ob sua  
 scelera proscriptus Dorlanum venerat,  
 qui vel ultionis libidine, vel impunita-  
 tis spe incitatus Protocareri benevolen-  
 tiam sibi conciliare nitebatur, eidem  
 insinuans, haud arduum factu fore, ut  
 Urbs inopino impetu obrueretur, cum  
 cives, utpote magis ad privata sua ne-  
 gotia, quam ad bellica assueti, non  
 raro Urbis portas pro advehenda anno-  
 na apertas paucis, iisque incuriis cu-  
 stodibus committerent, cum sic facili  
 negotio sensim milites aliquo astu intro-  
 duci possent,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.

§. LX.

*Ambianum ab Hispanis bellico strata-  
 gemate interceptum.*

Igitur Protocarerus rem minime negli-  
 gendam ratus plures, ac præcipue  
 Franciscum ab Arcu strenuum centu-  
 rionem, ac Gallici idiomatis probe gna-  
 rum in urbem exploratum misit, qui  
 non ita pridem civitatem non modo an-  
 nona, sed & Helvetico milite, bellico-  
 que apparatu a Rege munitam fuisse,  
 de

Thu. l. c.



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1597.**

de cetero autem portas incautius, fe-  
 gnusque custodiri referebat: accepta  
 hac relatione mox Protocarerus eun-  
 dem Franciscum ad Albertum Archi-  
 ducem die prima Martii ablegans ad  
 rem feliciter exequendam idonea mili-  
 tum auxilia ab eodem efflagitabat.  
 Ergo Albertus ex vicinis præsiidiis cir-  
 citer quinque peditum millia, & septin-  
 gentos Equites colligit, hosque die un-  
 decima Martii Orvilam urbem Doriano  
 una ferme leuca distitam venire ju-  
 bet, atque ad fallendum hostem stu-  
 diose concitata inter Sanpauli præsidia-  
 rios seditione has copias pro puniendis  
 hisce factiosis destinari in vulgus spar-  
 git: ipse vero Protocarerus nocturni si-  
 lentii beneficio usus trajecta Altilia ame-  
 ne omnes Urbis aditus excubiis obli-  
 debat, ut cunctos huc, illucque euntes  
 interciperet: postea cum quingentis se-  
 lectioris militiæ Viris antelucano tem-  
 pore in loco mille passibus distito sub-  
 stitit: Equitatum vero in vicina valle  
 arboribus opaca delitescere voluit, præ-  
 misitque Joannem Baptistam Dugna-  
 num Mediolanensem, & Franciscum  
 Arcum cum triginta militibus, qui ru-  
 sticas vestes induti sub tunica pugio-  
 nem, & duo breviora sclopeta occul-  
 tabant, aliique humeris, alii brachiis  
 suis sportas, perinde ac si esculenta ad  
 forum

Sæcul XVI.  
A.C.1597.

forum deferrent, gestantes die undeci-  
ma Martii ad portam Montescutanam  
contendebant: ex iis vero quidam tres  
currus prægrandibus palis onustos du-  
cebant, quorum duo primi apertis Ur-  
bis portis aliquantulum progrediebantur  
intermixtis pluribus militibus ru-  
ficorum more vestitis, tertius vero  
currus in condito loco subtus cataractas  
ferreas substitit, eo fine, ut his forte de-  
missis, curruque exceptis liber in ur-  
bem aditus pateret: eodem momento  
quatuor sequebantur ementiti ejusmodi  
rustici, quorum unus in humeris suis  
saccum nucibus, & pomis plenum ba-  
julabat, cum vero studiosa humerorum  
commotione pondus sublevare fingeret,  
clam aperto, quo saccus ligabatur, fu-  
niculo contenta in eo poma, nucesque  
in terram effudit: accurrunt illico ci-  
ves portæ custodes, huncque rusticum  
sibilis, & cachinnis excipientes effusas  
merces militari licentia prædari cer-  
tant; in quos ementiti hi rustici impe-  
tum facientes trucidatis custodum non-  
nullis ceteros omnes in fugam abigunt,  
alii vero a curribus equos, ne hi ino-  
pino strepitu territi ulterius progrede-  
rentur, abscissis loris sejungunt, hoc-  
que plaustrorum septo plateæ aditum  
civibus forte in opem accurrentibus ob-  
struunt: occupata hac porta quanto-  
cuius

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

1

cuius

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1597.** cius quingenti Hispani in insidiis latentes dato signo advolant, quos sequuntur etiam Equites, qui demissam cataractam elevantes trucidatis excubiis liberum Urbis aditum ceteris aperiant, ac in præcipuo Urbis foro congregati nudatis gladiis plateas perequitant, civisque ex concione verni jejunii tempore habita ad campanæ sonitum turmatim confluentes post leve certamen præsentis mortis metu adeo terrent, ut inermes, ac resistere minime ausi, fuga sibi una omnes consulerent.

## §. LXI.

*Gallorum consternatio ob hujus Urbis jacturam.*

**Thu. l. II. 8.** **pag. 793.** Hispani nondum evoluto dimidiæ horæ spatio totam urbem incruento ferme impetu victricibus suis armis subegerant, potissimum tamen jacturam Dugnani strenui Belliducis sclopeti ictu trajecti præter quatuor alios deplorabant; ex Gallis vero præter centum civis sexaginta circiter milites desiderati fuere; ipsa tamen clade Henrico Regi longe magis molesta accidebat ignominia, quæ Gallico nomini exinde inulta credebatur, eo quod plusquam quindecim præsidiariorum millia tanti nominis urbem nulla vi aperta superandam contra popularem astum, & bis mille septin-

septingentos Hispanos tueri haud potuerint, nunquam, inquit Thuanus, *trifior erat Regni facies, quasi illo ictu Regia Majestas, & Gallicum nomen concidissent, attonitis ubique animis, & in omnem eventum suspensis, sive Urbs dolo militari capta in potestate Hispanorum permaneret, sive a Rege vi reciperetur; amissa enim hac urbe Hispanis usque ad Regni Metropolim aditus nec ulla arce, aut Urbe munita custoditus pandebatur, ac non modo per universam Picardiam excurrendi, sed etiam vicinas Provincias invadendi opportunitas eisdem suppeditata fuerat: præterea funesto hoc eventu tantopere Mercuriani Ducis audacia accendebatur, ut Rex illum hoc anno ad officium redigere desperaret. Ceterum Protocærus tota urbe potitus præprimis Francisci Aureliani sancti Pauli Comitiss uxorem, quam is ob nimiam fugæ celeritatem in Urbe reliquerat, liberam dimisit, ac honorifice ad suum Maritum remisit, postea vero cunctos cives se-vero edicto exarmari iussit, atque omnibus Urbis portis, forisque valido milite munitis demum per integrum diem civium ædes victorum deprædationi reliquit, ubi tamen ob ingentem Belliducum sedulitatem, exactamque militum obedientiam, nulla effrænis licentia*

Sæcul. XVI. tiæ vestigia deprehendebantur: copio-  
A.C. 1597. fa tamen, ac prædives præda Hispanis  
 cedebat, quippe paulo ante Franciæ  
 Rex omnem belli apparatus pro futura  
 totius anni expeditione necessarium,  
 cunctasque pecunias, quas pro militum  
 stipendiis corradere poterat, ad hanc  
 urbem deferri iusserat: non desunt ta-  
 men, qui urbis deprædationem a Fer-  
 dinando Comite Fontano ex Regis iussa  
 inhibitam referant, ne forte victores ni-  
 mia aviditate congerendis spoliis intenti  
 a populo animos interea resumente  
 præter expectationem opprimerentur.

## §. LXII.

*Franciæ Rex varia Hugonottis in-  
 dulgere compulsus.*

*Daniel hist.  
 de France  
 l'an. 1597.  
 pag. 163.*

Hæc cum interea gererentur, Hugonot-  
 tarum Duces in Vindocinensi con-  
 ventu congregati, cum Henrici Fran-  
 ciæ Regis res tot victoriis tam per Ar-  
 chiducem, quam Hispanos reportatis  
 plurimum inclinari cernerent, insolenti-  
 ores facti Regem importunius urge-  
 bant, ut etiam ad ceteros articulos,  
 quos antea silentio eludere quærebat,  
 perspicuum daret responsum: quapropter  
 Rex rursus Vicum secretioris Senatus  
 Consiliarium, necnon Calignonum Na-  
 varræ Cancellarium ad Vindocinensem  
 Conventum ablegare compellebatur,  
 dato

dato negotio, ut Hugonottis expone-  
 rent, quatenus novæ Curiaë, uti in se-  
 cundo articulo postulassent, absque gra-  
 vioribus in regno diffidiis erigi non pos-  
 sent, cumque ceteri Senatus ejusmodi  
 curias nequaquam ratas habere vellent,  
 Calvinistæ contenti sint, si in quovis  
 Senatu unicum tribunal ex utriusque  
 Religionis Senatoribus compositum in-  
 stituatur: quantum vero ad tertium  
 articulum de præfidiario milite in se-  
 curitatis urbibus alendo Rex eisdem  
 rursus significari præcepit, quod pari-  
 ter in Catholicorum civitatibus ejus-  
 modi præsidia sustentare cogeretur, ex-  
 inde vero exercitus sui robur ultra mo-  
 dum labefactaretur: de cetero tamen  
 eis pollicebatur, quod pro præfidiariis,  
 eorumque Ministris quinquaginta au-  
 reorum millia assignaturus sit, ea ta-  
 men conditione, ut haud amplius re-  
 gios proventus sibi vindicare, aut po-  
 pulum tributis gravare præsumerent,  
 cum ejusmodi Regiæ Majestatis usur-  
 pationes diutius tolerari nequirent.  
 Hæc ab utroque Regis Deputato Hu-  
 gonottis hoc anno die tertia Februarii  
 fuere proposita, simulque eisdem ex-  
 probratum, quod indignum in modum  
 Regem haberent, eundemque tam gra-  
 vibus incommodis subjicere attentarent,  
 & quidem iniquissimo illo tempore, quo

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.

Sæcul. XVI. Rex cum tanto ærarii sui, ac propriæ  
A.C. 1597. vitæ dispendio Regnum aduersus Hi-  
 spanos tueri intentus esset, quem ta-  
 men ipsimet potius, prout fideles sub-  
 ditos deceret, omni ope, & consilio ad-  
 iuvare tenerentur, vel maxime ideo,  
 cum Rex sollicitantibus Hugonottarum  
 præcipuis bellum Hispaniæ Regi de-  
 nuntiaffet.

## §. LXIII.

*Arrogans Hugonottarum responsum  
ad Regis Deputatos.*

*Daniel l cit.* **A**tamen hac Regis indulgentia mini-  
*Thuan. hist.* me frangebatur temeritas Calvini-  
*lib. 118.* starum, qui non jam supplicum, sed  
*pag. 798.* imperantium more altera die Vulsonium  
*Mem. de* Delphinatensis Provinciæ Deputatum  
*Sulli t. 1.* ad Vicum, & Calignonum Regis Ora-  
*cap. 79.* tores ablegabant, ut Vindocinensis con-  
 ventus nomine declararet, quod nec  
 Religioni suæ, nec justitiæ, nec pro-  
 priæ securitati hoc Regis responso satis  
 cautum esset, proin vexationibus, qui-  
 bus continuo opprimerentur, se eo  
 adactos cernerent, ut in propriis suis  
 viribus mali remedium quærerent, si  
 Regii Senatus Patres eis levamen af-  
 ferre cunctarentur. Hoc petulanti re-  
 sponso Hugonottæ satis aperte indica-  
 bant, quod sumptis contra Regem ar-  
 mis seditionem conflandi consilia cude-  
 rent.

rent, præcipue cum Vindocinensem Sæcul. XVI:  
 Conventum suum propria auctoritate A.C.1597.  
 Salmurum transferre pararent, eo fine,  
 ut urbibus trans Ligerim sitis, suæque  
 potestati subjectis magis vicini essent,  
 ac promptius ab eis auxilium sperare  
 possent. Hæc Calvinistarum pertinacia  
 Regem eo magis turbabat, quo firmiter  
 sibi persuasum habebat, quod Hispani,  
 ac Mercurianus Dux horum rebellium  
 defectionem in rem suam versuri essent,  
 spe freti, quod hac ratione regium  
 exercitum auctis hostibus distrahere  
 oporteret, præcipue cum Mercurianus  
 Dux novos seditionem suam honestandi  
 obtentus ex eo quæreret, quod Sant-  
 Ægidius insuperhabita induciarum An-  
 degavi pactarum fide Briandi castrum  
 occupasset, præsidiariis, qui locum Du-  
 cis nomine tenebant, cæsis. Ex altera  
 parte Protestantibus cuncta eorum po-  
 stulata concedere Regi minus consul-  
 tum videbatur; haud immerito enim  
 pertimescebat, ne Religione Orthodoxa Hist. lib. 175.  
 exinde plurimum labefactata, Catho- S. 62.  
 lici, prout sub Regibus ejus Prædeces-  
 soribus factum, vehementer offenderen-  
 tur, ac fœderati hæctenus dispersi rur-  
 sus pro tuenda vera fide in unum coi-  
 rent: insuper Regis metus exinde plu-  
 rimum augebatur, quod haud ignora-  
 ret, Bullionium Ducem per Orivalium



Sæcul. XVI. die quinta Martii ab Hugonottis ablegatum declarasse, quod illorum Conventus, usque dum Rex plene eorum postulatis satisfacisset, omnino sit continuandus, idque Regiis Deputatis significandum, ac interea omnes ipsis ad dicti Proceres præcipue vero Diguerius, & Forza ad hunc Conventum accerfendi. Ex hac declaratione Rex haud obscure intelligebat, quod Bullionius novæ factionis Auctor, caputque nominari ambiret.

## §. LXIV.

*Rex Hugonottas ad pacis consilia inclinare frustra conatus.*

*Daniel l. c.  
Hist. de  
l'Edit. de  
Nances l. 7.*

Sub idem tempus Franciæ Rex infauftum de Ambiano ab Hispanis intercepto nuntium acceperat, captata autem inde ansa ex Parisina urbe die duodecima Martii ad Hugonottas Vindocini congregatos per Monglatum literas transmisit, in quibus illos verbis ad ciendam miserationem aptissimis, validisque rationibus inducere nitentur, ut ab immoderatis petitionibus suis desisterent, aut eas saltem ad aliud tempus magis opportunum differrent: ipse quoque Monglatus die decima nona Martii ad confessum admittus, cunctos eloquentiæ fontes exhauriebat, ut eis persuasum redderet, quod proprii

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

proprii sui honoris haud immemores patriæ suæ salutem cordi haberent, bellumque civile, quod ex eorum pertinacia Regno rursus impenderet, avertere molirentur, cum nuperæ diffensiones intestinæ omnibus fœderatis ad officium nondum reversis adhuc sub cineribus laterent: proin saltem ipsi obsequium, ac submissionem legitimo suo Regi debitam nova rebellionem excutere abhorrent. Verum omnes hæ rationes, utut æquitati, ac prudentiæ admodum consonæ, illorum animos permovere haud poterant, qui jamjam seditionis libidine per ipsam hæresis contumaciam accensa flagrabant: eapropter temeritate nunquam audita Salmuro die vigesima quinta Martii literas ad Regem transmittunt his verbis conceptas: „iniquo prorsus animo Ambianensis urbis jacturam ferimus, ac uni-  
„ce in Regiæ suæ Majestatis opem vi-  
„tam, nostraque bona profundere de-  
„sideramus, ea tamen lege, ut præ-  
„primis ea omnia, quæ in nostris libel-  
„lis supplicibus exposuimus, nobis con-  
„cedantur.„ Enimvero Rex oblatus hujus obsequii sinceritatem sibi merito suspectam habebat, eoquod præsentem adhuc Monglato hi rebelles novo edicto ad Provinciales suos Senatus transmissis ex Regiis tribunalibus pecunias

Sæcul. XVI. A. C. 1597. cunias auferri, atque exinde præfidiariis, qui Hugonottarum urbibus impositi erant, æs militare numerari præcepissent, simulque Nesleum Gubernatorem Calviniaço excedere prohibuissent, quamvis hic unacum suo præsidio hanc urbem relinquere a Rege disertis verbis iussus esset: adeo nempe hæreticis nihil magis familiare est, quam legitimi Principis sui iussa vilipendere. Nec hic stetit Calvinistarum Salmuri congregatorum petulantia; postquam enim sub idem tempus Cudrajus Regis nomine eisdem injunxerat, ut duodecim aureorum millium summam, quam reformatæ eorum Ecclesiæ post Parisinam cædem a Mercatoribus Anglis mutuam acceperunt, tandem persolverent, hi unanimi suffragio decidere præsumebant, quod Rex præfatam summam numerare, aut saltem, ne Rupellensis urbs, quæ de hac solutione caverat, desuper molestetur, præpedire obstringeretur, hacque de re specialis articulus eorum libello supplici infereretur: præterea juxta Bullionii Marescalli consilium decreverunt, ut eorum conventus saltem per biennium continuandus novis Deputatis augetur, atque ad castrum Heraldii, utpote a Rege magis remotum, ditio-

nibus

nibus vero eorum potestati subjectis Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.  
magis vicinum, transferretur.

§. LXV.

*Alii Proceres a Rege ad Hugonottarum conventiculum Deputati.*

Cum ergo Vicus, Calignonus, & Thuan. 83  
Daniel. 1. 66  
Monglatus frustra operam suam in  
flectendis hisce rebellibus hæreticis im-  
penderent, Rex insuper ad castrum He-  
raldi, quo Calvinistæ Salmuro conces-  
ferant, Casparum Schombergium Nan-  
tolii Comitem, & Jacobum Augustum  
Thuanum ablegare decernebat, ut cum  
Protestantium Delegatis nomine Regis  
agerent, quam in rem ipse quoque Rex  
ad Tremollium, Novam, Paraberam,  
& Plessium Mornæum ex factiosis præ-  
cipuos literas dabat, quæ tamen nul-  
lum omnino sortitæ sunt effectum, nec  
tamen propterea Rex animo fractus rur-  
sus Monglatum, & Forzam ad Hugo-  
nottarum conventum decernebat una-  
cum literis decima nona Aprilis die da-  
tis, altera autem die pariter submise-  
rat Vicum, qui Regis nomine Hugo-  
nottis hæc indulgebat. I. Rex intra  
Parisiensis, & Rothomagensis Senatus  
jurisdictionem Turonii Curiam iisdem  
erigere permittebat. II. Si regio pro-  
missio fidere vellent, Rex eis pro præ-  
sidiariorum, qui in Hugonottarum ur-  
bibus

**Secul. XVI.**  
**A.C. 1597.**  
 bibus sunt, sustentatione centies sexaginta aureorum millia erogare se paratum offerebat per integros sex annos, nonnisi autem per biennium id se facturum spondebat, si hanc pollicitationem scripto firmatam desiderarent. III. Rex pro alendis ipsorum Ministris quadraginta aureorum millia se suppeditaturum asserebat: hæc tamen Henricus hisce rebellibus concedere paratus erat, ea duntaxat lege, ut dissoluto conventu suo haud amplius ejusmodi congressus, seu Senatus sub quovis prætextu instituerent, omniaque edicta, quibus Regis æraria sibi vendicabant, irrita declararent.

## §. LXVI.

*Alberti Archiducis literæ ad Mercurianum interceptæ.*

*Thuan. l. c.* Paulo ante Alberti Archiducis literæ ad Mercurianum Ducem datæ fuerant interceptæ; quippe Crucejus Bellovacensis capta Ambianensi urbe per dispositos equos cum arcanis mandatis, ac literis in Britanniam minorem mittebantur, ut de prospero Ambianæ expugnationis successu Mercurianum Ducem certiores redderet, & arctiori amicitie vinculo eundem Alberto devincire niteretur: cum autem hic nuntius Salmurum veniret, ipse Plessius  
Mor-

Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

Mornæus forte in eodem hospitio di-  
 versatus, ex eodem, unde veniret, &  
 quo tenderet, percunctatus, illum vultu  
 pallere, ac verbis nutare deprehende-  
 bat, quapropter illum comprehendi jus-  
 sit, literarum autem, quas hic juvenis  
 in stabuli sterquilinio occultabat, fa-  
 culo opportune reperto præter alias  
 scripturas deprehendebat epistolam  
 Mense Januario datam, in qua Alber-  
 tus Archidux Mercurianum Ducem ad  
 inviolate servandum amicitiae foedus  
 hortabatur, data fide, quod Philippus  
 Rex cum Henrico nullam pacificatio-  
 nem initurus esset, nisi ipse etiam Mer-  
 curianus in ejusmodi pacto compre-  
 hendatur. His quoque literis alia e-  
 jusdem Archiducis epistola ad Roderi-  
 cum Mendonem Hispanicæ rei in Bri-  
 tannia Procuratorem erat adjuncta, in  
 qua hic Mercurianum de promissis a  
 Philippo Rege factis certum reddere  
 jubebatur: reperiiebantur etiam aliæ  
 literæ ambiguis verbis, arcanisque no-  
 tis scriptæ, ex quibus satis manifestum  
 reddebatur, quod præfatus Dux clan-  
 destina cum Hispanis consilia adversus  
 Franciæ Regem cuderet; magis autem  
 ejusdem animus ex alia illius epistola  
 ad Carpentarium Advocatum data, eo-  
 demque tempore intercepta manifesta-  
 batur, in illa enim Dux de Cruceii fato,  
 lite-

Sæcul. XVI. literisque apud eum repertis summum  
A.C. 1597. dolorem testatus significabat, quod qui-  
dem Regii Deputati inducias usque ad  
Mensem Octobrem prorogari postula-  
rent, ipse vero illas ultra mensem Ju-  
lium extendi nollet, eoquod a Philippo  
auxiliares copias eo mense adventuras,  
necnon Albertum in Gallias irrupturum  
a suis amicis intellexisset, proin si idem  
Albertus capto jam Ambiano oppor-  
tuna hac occasione uti vellet, minime  
dubium foret, quin Regis, qui in oc-  
culto juratus Catholicorum hostis est,  
fortuna penitus everti possit. Hæ qui-  
dem literæ ad detegendum Mercuriani  
animum peropportunæ erant, Cruceio  
tamen, & Carpentario extremum ac-  
celerarunt exitium, quippe ambo tan-  
quam perduelles, ac patriæ proditores  
postea ad mortem damnati confractis  
membris rotæ impositi sunt.

## §. LXVII.

*Fallax Hugonottarum juramentum.*

*Daniel. l. c.*  
*Thu. l. 118.*  
*pag. 800.*

Cum ergo ex hisce Mercuriani literis  
novos, eosque fatis periculosos tu-  
multus intra Regnum agitari comper-  
tum esset, rei gravitas postulare vide-  
batur, ut Rex de ea certior fieret: qua-  
propter Bullionius, Tremollius, Ples-  
sius, & Senombergius haud inconsul-  
tum censebant, ut Nicolaus Rapinus  
Equi-

Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

Equitum tribunus captum Crucejum ad Regem conduceret, eo fine, ut obscura, & ambigua in hisce literis contenta ab ipsomet explanarentur: igitur Rex ex hoc juvene totius arcani consilii seriem edoctus, ut imminens periculum a se amoliretur, Vico, qui tum Salmuri agebat, Hugonottis exponere præcepit, quod Mercurianus Dux ad continuandos in Regno tumultus eorum rebellionem in rem suam verteret, ac gratiis, quas ipsi sibi in Religionis suæ negotio concedi postulabant, ad id abuti intendere, ut sub hoc prætextu Catholicos ad seditionem concitet, atque in Britannia rebellionem prosequi valeat: cum satis luculenter interceptæ Mercuriani literæ testantur, eo unice ipsius consilia collimare. Verum Hugonottæ hæc ipsa Regis indulgentia audaciores effecti a Rege jamjam perterrefacto omnia, & singula, quæ per fas, nefasque postulabant, extorquere decreverunt, atque insuperhabito Regis interdicto conventui suo apud castrum Eraldi stabilito die decima sexta Junii initium fecerunt, in quo congregati Regi obedientiam, ac submissionem amplis quidem verbis, ac jurejurando pollicebantur, ejusmodi tamen conditiones, ac clausulas apponebant, ex quibus seditiosa ipsorum consilia palam fiebant: huic



Sæcul. XVI.  
A.C. 1597. huic insuper juramento plusquam du-  
centi ex Deputatis subscripserant una-  
cum ipso Bullionio Duce, qui die vi-  
gesima septima ejusdem Mensis ad ca-  
strum Eraldi advenerat, in hoc potissi-  
mum culpandus, quod a Rege, quem  
repugnantibus cunctis ferme Consiliariis  
ad bellum Hispanis denuntiandum ade-  
gerat, non modo perfide defecerit, sed  
etiam in ipsum seditionem conflarit.

## §. LXVIII.

*Anxiæ Henrici Regis curæ ob Hugo-  
nottarum temeritatem.*

*Dignis l.c.* Percepta Calvinistarum pervicacia  
Henricus Franciæ Rex tandem  
proprio experimento didicerat, nun-  
quam nec Principis securitati, nec Re-  
gni tranquillitati cautum esse, quam-  
diu quædam secta a Catholica Religio-  
ne aliena invalescere nimia indulgen-  
tia permittitur, eoquod indomiti secta-  
riorum animi nullo aut rationis, aut  
reverentiæ fræno regi sustineant: quo-  
circa Henricus Rex inquietissimo cura-  
rum turbine ejus animum circumfo-  
nante, quid consilii in fatali hac re-  
rum vicissitudine caperet, suspensus  
hærebat; sub idem vero tempus perop-  
portunæ Rosnius Baro ad castra adve-  
nerat, qui quidem Calvinianæ sectæ  
studiosissimus, Regi tamen apprime  
addi-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

addictus erat, hunc ergo Rex animi  
levandi gratia his verbis alloquebatur:  
„ex Eraldi castro mihi nuntiatur, quod  
„Hugonottæ ibidem congregati a me  
„novum extorquere moliantur edictum,  
„vi cuius non minus iniqua, quam im-  
„modica, quæ a me hucusque postu-  
„larunt, ipsis concederem, cum tamen  
„omnino perspectum habeam, quod  
„omnes Provinciarum Curixæ sese ejus-  
„modi indulgentiæ sint opposituræ: ex  
„altera vero parte non minus prospici-  
„cio, quod Hugonottæ, si repulsam  
„laturi sint, arma adversus Regem suum  
„sumere decreverint: insuper etiam ti-  
„mendum cerno, ne Bullionius, & Tre-  
„mollus Duces, necnon Plessius, alii-  
„que, quibus major inter Sectarios au-  
„toritas, ceteros quoque ad rebellio-  
„nis societatem pertrahant: id vero  
„si fieret, cuncta sane exitio proxima  
„forent, cum hinc Hispanos, illinc  
„Hugonottas debellare coactus exerci-  
„tum meum in diversa partiri deberem:  
„quapropter te rogo, ut datis literis  
„Trimollium amicum tuum ad dissol-  
„vendum hoc foedus regno meo tan-  
„topere funestum inducas.„ Annuit  
Rosnius Regis desiderio, hancque in  
rem ad eundem Trimollium nulla mora  
litteras oppido vehementes dedit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1597.

§. LXIX.

*Pontificis opera in sancienda pace Gal-  
los inter, & Hispanos.*

*Spond. hoc**ann. n. 7.**Rapin.**Thoir hist.**d' Angl.*

Vix Clemens VIII. summus Pontifex  
Henrici IV. Regis reconciliationem  
ad felicem exitum perduxerat, cum  
illico primas eo curas intenderet, ut  
tanquam communis fidelium Parens,  
gentisque Christianæ arbiter duos Eu-  
ropæ potentissimos Reges Hispanum  
& Gallum firma pace conciliaret; cum  
enim hi non sine magno Catholicæ fi-  
dei dispendio, ingentique Protestan-  
tium incremento jam per plures annos  
inter se bella utrinque damnosa gere-  
rent, atque ipsi Turcæ, cum Cæsar ex-  
teriorum Principum ope destitutus eis-  
dem resistendo impar esset, jamjam re-  
petita clade Christianos in Hungaria  
afficerent, hinc unionem inter Catho-  
licos Principes quovis pretio revocare,  
summopere necessarium ducebat Ponti-  
fex; eapropter jam anno priori Ale-  
xandrum Medicæum Cardinalem, at-  
que Archiepiscopum Florentinum, qui  
postea in Papam electus Leo XI. nomi-  
nabatur, Legatum in Gallias decernebat,  
ut Henricum IV. ad pacis consilia in-  
clinaret. Legatus igitur ad alloquium  
Parisiis admissus, variis, validisque  
argumentis Regem ad pacem incitabat,  
hæc

hæc exponens: „diuturnæ Gallici Re-  
 „gni calamitates, ac florentissimæ quon-  
 „dam Provinciæ præfenti bello desola-  
 „tæ pacem, unicum tot malorum re-  
 „medium, deposcunt; nunquam enim  
 „Rex Regno suo pacate, tranquilleque  
 „frui poterit, quamdiu ab extero hoste  
 „armorum metus imminet: aliunde e-  
 „nim etiam Regnum non modo a foe-  
 „deratorum reliquiis turbatur, sed vel  
 „maxime ab hæreticis in Regno præ-  
 „valentibus, qui cum Belgii rebellibus,  
 „Anglisque clandestina armorum so-  
 „cietate conjuncti nonnisi ex Hispanici  
 „belli successu sua consilia moderantur,  
 „ac sinistra regii exercitus expeditione  
 „arrogantiores facti rebellionem adver-  
 „sus Regem eo tempore meditantur, quo  
 „Christiana Respublica ardentè exop-  
 „tat, ut arma illa, quæ hucusque Chri-  
 „stianorum sanguine maduerunt, tan-  
 „dem in communem hostem Turcarum  
 „Imperatorem verterentur.„ His, aliis-  
 „que rationum momentis Legatus Apo-  
 „stolicus Regis animum ad pacis deside-  
 „rium quidem inclinabat, cum tamen  
 „honoris, atque existimationis stimulus,  
 „propriæque utilitatis ratio in eo præ-  
 „valerent, idem Rex disertis verbis Car-  
 „dinali Legato respondit, quod nulli un-  
 „quam conditioni assensurus sit, nisi prius  
 „omnes urbes, quas Hispani occupave-  
 „rant,

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1597.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597. rant, integre restituantur, damnaque Regno illata resarciantur: hoc tamen responso Legatus nihil territus rem urgere pergebat, moxque annuente Papa Patrem Bonaventuram de Calatagrine Ordinis sancti Francisci Ministrum Generalem natione Siculum in Hispaniam unacum Belliverio ablegabat, ut ambo cum Philippo Rege, quem pacis studiosum noverat, de mutua hac concordia agerent.

## §. LXX.

*Philippus Hispaniæ Rex ad pacem propensus.*

*Spond. n. 7.*  
*Gallut l. 10.*  
*de bello Gall.* Quamvis Franciæ Rex pacis negotio varias difficultates objectare videretur, re tamen ipsa tam domesticis, quam exteris tumultibus inter arcta prehenfus Regni sui tranquillitatem pacis securitate redimere paratus erat: majori tamen adhuc animi propensione Philippus II. Hispaniæ Rex jam victoriis satur ex tuta pace belli fructus reportare studebat; cum enim jam senio gravis, morbisque lætalibus pressus esset, ac periculosum crederet, unico teneræ adhuc ætatis Filio Regnum immensis sumptibus exhaustum unacum bello tam atroci adversus hostem expertum, ac magnanimum relinquere, aliunde vero speraret, quod  
vires

Sæcul.XVI.  
A. C. 1597.

vires suas in Franciam distractas adversus seditiosos Belgii Ordines firmata pace potentius contrahere possent, hinc benevolas admodum aures P. Bonaventuræ Ministro Generali præbebat, eodemque tempore, quo ejus res prospero adhuc armorum successu adversus Gallos procedere videbantur, literas apud sanctum Laurentium Escurialem die duodecima Augusti ad Albertum Belgii Governatorem dabat, quibus eidem pacis conficiendæ facultatem commiserat. Ceterum hæ pacis consultationes post recuperatam Ambianensem urbem plurimum quidem fuerunt promotæ, nonnisi tamen anno sequenti penitus confectæ.

§. LXXI.

*Hugonottæ ob agitatum pacem in rabiem acti.*

Ea res tam religioso silentio celari haud poterat, quin crebrescente fama Hugonottæ in Eraldi castro congregati intelligerent, quod summus Pontifex inter Hispanum, & Gallum Reges pacem conciliare niteretur, hancque in rem jamjam Ordinis sancti Francisci Ministrum Generalem in Hispaniam ablegasset. Accepto hoc nuntio Hugonottæ, cum pertinaciam suam reddita pace, auctisque Regis viribus

Daniel Hist.  
de France  
t. 10. p. 125.

K 3

frangi

Sæcul. XVI.

A. C. 1597.

frangi pertimescerent, indomito furore  
 acti debitæ moderationis, ac submissio-  
 nis limites prætergredi non erubescer-  
 bant, sed communi consilio Constantium  
 Marantiæ Governatorem, qui desuper apud  
 Regem quereretur, ablegare decernebant.  
 Hic ad alloquium admissus inaudita prorsus  
 temeritate Henricum Regem suæ factionis  
 nomine his verbis alloquebatur: „Haud igno-  
 ramus, nostra postulata studiose diuturna  
 cunctatione eo ex fine fuisse elusa, ut in-  
 terea cum Hispaniæ Rege pacis fœ-  
 dus maturari posset: attamen hæc  
 ipsa concordia nobis haud immerito  
 admodum suspecta est, eo quod præci-  
 pue instigante Papa jurato religionis  
 nostræ inimico cum ejusmodi Rege,  
 cujus pacta duntaxat ad existimatæ hæ-  
 resis nostræ exterminium tendunt, in-  
 eatur, necnon præcipui regis Ma-  
 jestatis suæ Consilarii non raro, in-  
 cautius licet, in suis colloquiis de-  
 clarant, pacem cum Hispanis omnino  
 necessariam esse, ut tandem Hugo-  
 nottæ ad officium revocari valerent:  
 insuper suspecta nobis est hæc ipsa ta-  
 citurnitas, qua hucusque hoc nego-  
 tium fuit sollicitè nobis occultatum,  
 cum tamen illud urgentibus Bellive-  
 rio, & Bonaventura Franciscano vix  
 non confectum sciamus: de cetero au-  
 tem

„tem persuasi sumus, quod Rex nequa-  
 „quam propriæ suæ voluntatis impulsu  
 „permotus, sed pravis suorum consiliis  
 „deceptus ejusmodi fœdus molitur:  
 „si tamen nihilominus res ad exitum  
 „deducatur, nos usurpatam Regis au-  
 „toritatem armis tueri obstringemur;  
 „nec ad id nobis vires deerunt, cum  
 „arcta invicem societate conjuncti si-  
 „mus, semperque jungendi, aliunde  
 „vero experientia docuerit, quam ina-  
 „nes hæcenus fuerint conatus, quibus  
 „ejusmodi homines nostram Religio-  
 „nem evertere machinati sint, cum eo-  
 „rum molimina duntaxat ad nostram  
 „factionem numero, & potentia augen-  
 „dam profuerint: de cetero speramus,  
 „quod rebus omnibus mature pensita-  
 „tis Regia sua Majestas saniora, ma-  
 „gisque congrua capere velit consilia,  
 „interim vero haud ægre ferat, quod  
 „& nos adversus mali periculum ea  
 „præparemus remedia, quæ nobis pru-  
 „dentia suggererit. „

Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

§. LXXII.

*Seditiosa Hugonottarum molimina ad-  
 versus Franciæ Regem.*

**T**emerariam hanc Constantii declara-  
 tionem Henricus Rex utpote itera-  
 tis Hæreticorum exprobrationibus jam  
 dudum assuetus summa moderatione

*Daniel l.c.*

K 4

exce-



Sæcul. XVI. excepit, ac Deputatum ad Hugonottas  
 A.C. 1597 remittens pollicitus est, quod illorum  
 quietem, securitatemque semper cordi  
 habere, seque erga illos tanquam Pa-  
 trem, ac Protectorem gerere velit,  
 dummodo vicillim ipsi, prout fideles  
 subditos decet, obsequium præstare  
 non detrectaverint: attamen ampla  
 hæc Regis pollicitatio pervicax Hugo-  
 nottarum ingenium adeo non flecte-  
 bat, ut etiam seditionem, quam diu  
 animo volutabant, executioni dare se-  
 stinarent; eapropter suam factionem  
 potentiorum Procerum auctoritate fir-  
 mare intenti, cum de Bullionii, &  
 Tremollii Ducum fide, atque auxilio  
 certi essent, nullum non movebant  
 lapidem, ut Diguerium quoque ad suas  
 partes pertraherent; hic enim in Del-  
 phinatu supremus Gubernator a Rege  
 constitutus omnes copias, quas Hen-  
 ricus contra Sabaudia Ducem destina-  
 verat, suo imperio subjectas tenebat,  
 proin si hic eorum partibus adhæsisset,  
 abs dubio illorum factioni maximum  
 accessisset momentum. Verum gene-  
 rosus hic vir Deputatos, quos Calvi-  
 nistæ ad eum ablegabant, increpans  
 declarabat, quod illos apud Regem ac-  
 cusare, necnon arma in eos convertere  
 velit, si perversis suis consiliis, ac re-  
 bellioni ulterius pertinaciter insistere  
 volue-

voluerint. Hæc repulsa Hugonottas <sup>sæcul.XVI.</sup>  
adeo non a suis perfidis machinationi- <sup>A.C. 1597.</sup>  
bus absterrebat, ut etiam Poliniacum  
Sangermanum clam in Angliam ad  
Elisabetham Reginam ablegarent, qui  
ab eadem novæ sectæ patrociniū im-  
ploraret.

§. LXXIII.

*Poloniæ Rex a Cardinale Legato  
frustra ad Turcici belli societa-  
tem sollicitatus.*

Interea summus Pontifex, ut Rudol- <sup>Thu. l. II. 8.</sup>  
pho Cæsari ipsius opem adversus <sup>pag. 787.</sup>  
Turcas imploranti pro viribus præsto ef-  
fret, missis undique Legatis Christianos  
Principes ad arma in Turcas vertenda  
sollicitabat. Equidem Protestantes, ut  
pia hæc Pontificis consilia everterent, nil  
intentatum, inausumque relinquebant,  
hac cavillatione usi, quod Papa inter  
Cæsarem, Hispaniæ Regem, & Tran-  
sylvaniæ Principem foedus pangere in-  
tentus non diserte id contra Turcas, sed  
generali voce contra *infideles* inire de-  
crevisset, id vero subdole a Pontifice  
factum ajebant, ut Hungaria a Turcis  
liberata bellum contra ipsos Protestan-  
tes, quos Pontifex velut infideles re-  
putaret, vertere posset. Verum hoc  
commentum temere adinventum a plu-  
ribus flocci habebatur, nec Pontificem  
abster-

**Sæcul. XVI.** absterrebat, quominus Cardinalem Ca-  
**A.C. 1597.** jetanum in Poloniam ad Sigismundum  
 Regem decerneret, ut hunc Principem  
 ad bellum in Turcas movendum impel-  
 leret: attamen obstrepente Joanne Sa-  
 moscio Regni Cancellario, & supremo  
 exercitus Belliduce, ipfisque Nobilibus  
 inter se divisum nihil concludi pot-  
 erat: insuper Sigismundus variis ob-  
 tentibus desiderium Pontificis eludere  
 nitebatur; cum enim nihil magis com-  
 mune Religionis bonum impedire so-  
 leat, quam privati dispendii formido,  
 aut proprii questus sollicitudo, pariter  
 Regem ab hoc foedere ineundo facile  
 absterrebat imminuendæ auctoritatis  
 suæmetus; cum enim Sueci Sigismundi  
 Regis sui, eoquod Catholicus esset, im-  
 perium excutere pararent, atque in e-  
 jus locum ipsius Patrum nomine Ca-  
 rolum Sudermaniæ Ducem secta Luthe-  
 ranum in Sundercopiensi conventiculo  
 Regni Governatorem crearent, hunc  
 Sigismundus a Regni administratione  
 amovere, eique Fridericum Brande-  
 burgicum Proregis titulo auctum sub-  
 rogare totis viribus adlaborabat, hujus  
 autem consilii executioni Suecos abs-  
 dubio obstituros verebatur, si eis com-  
 pertum fieret, quod foederi per Papam  
 proposito subscriberet: eapropter Cardi-  
 nali Legato rem impensius urgenti re-  
 spondit,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

spondit, quod sine maximo Regni, auctoritatisque suæ detrimento hac in re summo Pontifici obsecundare haud posset. Nihilominus Cardinalis nondum animo concidens, cum Francisco Mendoza, qui a Philippo Rege, & Alberto Archiduce hac de re in Poloniam missus erat, collatis consiliis eo rem deducebat, ut Mendoza declararet, se effecturum, ut in Regni Comitibus bellum Regi, nisi a Turcarum fœdere abstineret, denuntiaretur: nihil tamen a Rege impetrari poterat, pertinaciter oblucente Samoscio, ceterisque Proceribus, qui tamen, ne communem Christianorum causam deserere crederentur, Tartarorum Oratorem in Comitibus Varaviae agentem impellebant, ut hi deinceps a Turcis sese magis alienos exhiberent.

## §. LXXIV.

*Franciæ Rex a variis Principibus supplicatias efflagitans.*

Sub idem tempus Henricus Rex Guilielmum Ancellum in Germaniam ablegabat, ut Imperii Principes, urbesque ad armorum societatem contra Hispanos sollicitaret: hic ergo præprimis unacum Jacobo Bongarsio, qui jam dudum Regis negotia apud Germanos procurabat, Fridericum Palatinum Electorem,

rem,

Sæcul. XVI. rem, necnon Georgium Onoldinum  
 A. C. 1597. Marchionem convenit, coram quibus  
 Regem suum cum Angliæ Regina, &  
 Belgii Ordinibus fœdus iniisse referens  
 habita prolixâ oratione indignum in  
 modum in Hispaniæ Regem, totamque  
 Nationem invehebatur, ac demum ut-  
 rumque Principem impense rogabat,  
 quatenus huic fœderi pro publica liber-  
 tate inito quamprimum nomen darent  
 verum ad hæc Palatinus æque, ac  
 Marchio Oratori Gallo respondebant,  
 se nihil certi statuere posse, nisi  
 prius cum Daniæ, & Scotiæ Re-  
 gibus, aliisque Imperii fœderatis  
 egissent: Ancello autem in mora  
 periculum obversari reponente ambo se-  
 se excusabant, causati, honorificen-  
 tius fore, si communi omnium consi-  
 lio fœdus sanciretur, ac suppetiæ de-  
 cernerentur: cum vero sub durissimis  
 conditionibus auxilia ab utroque Prin-  
 cipe sponderi intelligeret Orator, fru-  
 stra tempus teri ratus, inde ad Phi-  
 lippum Ludovicum Baviariæ Ducem,  
 necnon ad Fridericum Wirtembergicum  
 contendit: ast ab utroque nonnisi nuda  
 verba retulit, hinc demum per Franco-  
 fordiam facto itinere ad Mauritium Hafs-  
 iæ Principem, & Brunsvicensem Du-  
 cem perrexit, quorum tamen primus  
 majus ab Hungaria, quam ab Hispani-  
 nis

nis Germaniæ periculum imminere re-  
 spondit, alter vero sibi Testamento Pa-  
 tris sui interdictum asseruit, ne sine Or-  
 dinum consensu cum ullo Principe fœ-  
 dus iniret. Haud magis prospero suc-  
 cessu Ancellus Anhaltinos Principes, &  
 Georgium Brandenburgicum Electorem  
 sollicitabat, quapropter re infecta No-  
 rimbergam reversus ineunte Aprili a  
 Saxonix Duce literas accepit, in qui-  
 bus Dux Regem hortabatur, ut a bello  
 cum Hispanis inito desisteret, cunctas-  
 que vires suas in Turcas verteret: in-  
 super Palatinus Elector, & Onoldinus  
 Marchio rursus sollicitati datis literis  
 Ancello respondebant, se sacri Imperii  
 reverentia prohiberi, ne fœdus cum  
 Rege Christianissimo inirent: de cetero  
 se ea, quæ Jacobo Bongarsio spon-  
 didissent, exequi paratos. Igitur Ancel-  
 lus post honorificas utrinque salutatio-  
 nes nonnisi vana spe, ac promissis lacta-  
 tus discedere cogebatur.

§. LXXV.

*Lucemburgus Henrici Galliarum Re-  
 gis Legatus ad Papam decretus.*

Hæc dum interim in Galliis gereban-  
 tur, die decima sexta Aprilis hoc  
 anno Christi millesimo quingentesimo  
 nonagesimo septimo Franciscus Lucem-  
 burgus Pinei Dux Romam venit, quem  
 Henri-

Sæcul.XVI.  
 A.C.1597.

Spond. ann.  
 1597. n. 16.  
 Daniel. l. c.  
 Thu. l. 118.  
 pag. 808.

Sæcul. XVI. A.C. 1597. Henricus IV. jam ineunte hoc anno il-  
 luc destinaverat, ut Regis nomine sum-  
 mo Pontifici Clementi VIII. filialis ob-  
 sequii homagium ritu solemniter exsolve-  
 ret. Erat hic magni meriti Princeps,  
 qui jam olim regnante Sixto V. ab Hen-  
 rico III. & postea a Proceribus Henrico  
 IV. addictis Romam ablegatus fuerat,  
 nunc vero, postquam portæ, ut vo-  
 cant, Angelicæ vespertino tempore ap-  
 propinquaverat, Pontificis jussu Proce-  
 rum, ac Nobilium quamplurimi obviam  
 procedentes, illum ad Herculis Tasso-  
 nii Ferrariensis Nobilis ædes comitaban-  
 tur: altera autem die ad Vaticanum  
 Palatium summa magnificentia dedu-  
 ctus cum ingenti Pontificis lætitia exci-  
 piebatur, qui etiam hujus Papæ pedes  
 demisso osculo veneratus Regis sui nomi-  
 ne obedientiam, obsequiumque sponde-  
 bat, quam in rem Mauritius Bressius  
 Sebusianus orationem habuit, prius-  
 quam tamen Pontificis nomine Sylvius  
 Antonianus tum Clementi VIII. a se-  
 cretis ad hanc orationem responderet,  
 difficultas circa obedientiam pro Regno  
 Navarræ præstandam oriebatur; cum  
 enim Hispaniæ Rex titulum Navarræ  
 Regis sibi soli vendicaret, Pontifex  
 hanc clausulam: *sine præjudicio Regis Ca-  
 tholici*, in responso ad obedientiæ for-  
 mulam dando adjici voluit, hancque in  
 rem

*Offat. epist.*  
 91. f. 92.

rem Arnaldum Ossatum natione Gal-  
 lum consuluit, qui hanc clausulam om-  
 nino addendam censebat, eoquod obe-  
 dientiæ homagium, quod Antonius  
 Navarræ Rex Henrici IV. Parens anno  
 millesimo quingentesimo sexagesimo  
 Pio V. & ipsemet Henricus anno mil-  
 lesimo quingentesimo septuagesimo ter-  
 tio per Durosium Gregorio XIII. præsti-  
 terant, nonnisi adjecta hac restrictione  
 fuisset acceptatum: verum Lucembur-  
 gus præpedire iussus fuerat, ne in re-  
 sponso, quod ad obedientiæ homagium  
 per quemdam Oratorem a Legato de-  
 signandum fieret, hæc clausula appo-  
 neretur: de cetero mandatum erat, ut  
 Legatus minime obstaret, quo minus  
 Hispaniæ Legati suas, ut vocant, pro-  
 testationes interponerent, dummodo  
 ibidem disertis verbis exprimeretur,  
 quod Hispani Regis protestatio dunta-  
 xat Navarræ, non autem Franciæ Re-  
 gnum respiceret, simulque post hæc  
 verba: *sine præiudicio Hispaniæ Regis quo-  
 ad Navarræ regnum: mox adderetur,  
 quod hæc protestatio vicissim adjecta cen-  
 seatur absque præiudicio Regis Christianis-  
 simi ad Navarræ Regnum.* Placuit hæc  
 cautela utrique parti, quapropter ea  
 de re speciale diploma a summo Pon-  
 tifice confectum est: submota igitur hac  
 difficultate Legatus fidei, atque ob-  
 sequii

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1597.  
sequi pensum solito ritu exsolvebat, quem postea Pontifex lauto convivio excipiens, ac familiari colloquio honorans humanissime a se dimisit.

## §. LXXVI.

*Henrici Franciæ Regis conatus pro recuperanda Ambianensi Urbe.*

Spond. ann. 1597. n. 3.  
Thu. l. c.  
Gallut. l. 19.  
de bello Gall. Cum Ambianensi urbe in Hispanorum potestate relicta Henricus nec speram armorum sortem, nec proficias pacis conditiones sperare posset, ideo hanc jacturam quovis pretio reparaturus mox Bironium Marescallum, ceterosque Belliduces convocabat, ut de opportunis hanc urbem recuperandi mediis deliberarent; cum autem Rex summa inopia laboraret, præcipua ejus cura eo abibat, ut pecuniæ ad hanc expeditionem omnino necessariæ conquirentur: porro huic consilio ipse etiam Rosnius Baro interfuit, cui jam anno priori Rex deplorandum egestatis suæ statum his verbis declarabat: „nec  
1596. p. 161. „mihî equus ad pugnandum aptus, nec „integrum stratum superest, indusia „mea penitus dilacerata, Thorax meus „undique pertusus, jamque per biduum „a diversis prandium quærere cogor: „inde judices, an diutius tolerare possim, quod ærarii mei Rectores opprimere vivant, ac saginentur, ego autem „tem

tem fame moriar ?, Hæc ipsa Henrici Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.  
epistola Rosnio ansam præbebat, ut  
Regi suggereret, ad conquirendas pe-  
cunias nil aptius fore, nisi ut omnes  
ejusmodi Rectores administrati ærarii  
rationem reddere compellerentur, ac  
ingens pecuniarum multa, qua rei  
plecterentur, in belli sumptus conver-  
teretur, & dein pecunia a ditioribus mu-  
tuo accepta, tributisque mediocriter  
auctis, peculatus crimine notati severe  
castigarentur. Hoc Rosnii consilium  
Rex tantopere gratum habebat, ut ei-  
dem totius ærarii curam demandaret,  
mox vero hujus subsidii spe fretus Lu-  
teticia Corbejam urbem septem leucis  
Ambiano distitam contenderet, & Ca-  
rolo Guntaldo Bironio Franciæ Mare-  
scalo negotium daret, quatenus cum  
tribus, vel quatuor millibus cunctos ur-  
bis aditus intercluderet: cum vero Bi-  
ronius cum copiis suis Ambiano appro-  
pinquaret, Protocarerus Urbis Guber-  
nator hostium paucitatem conspicatus,  
die trigesima, & trigesima prima Mar-  
tii in primam Gallorum aciem erupit,  
& captivis aliquot secum abstractis re-  
liquos in pagum ab urbe remotiorem  
recedere coegit: ineunte autem Mense  
Aprili militum suppetias ab Alberto  
Archiduce submissas unacum Friderico  
Paciotto insigni Architecto in urbem in-  
duxit,

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

L

duxit,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597. duxit, desideratis suorum duntaxat  
quadraginta, pluribus tamen faucibus,  
ex quibus erant Franciscus Deza, &  
Rogerius Taconius ambo magni nomi-  
nis Belliduces, quorum primus paucis  
post diebus vita functus est. Interea  
Bironius Marefcallus, ut obsessis infe-  
rendi militaris subsidii, vel annonæ op-  
portunitatem intercluderet, pontes na-  
vibus instructos Somonæ fluvio prope  
Longum-pratum imposuit, hosque lu-  
nato propugnaculo, multisque aggeri-  
bus in utraque fluminis ripa munivit,  
postea vero Atrebatum Artesiæ Metro-  
polin, necnon Dorlanum nocturni si-  
lentii beneficio clam admotis scalis su-  
perare tentabat, cum tamen hæ mæni-  
bus breviores essent, præsidiarii, ci-  
vesque tumultu excitati Bironium non  
sine suorum dispendio retrocedere coe-  
gerunt: sub idem tempus Mense Majo  
quatuor Anglorum millia ad Gallorum  
castra pervenerant, cumque ipsemet  
Rex ineunte Mense Junio Parisios de-  
latus militum delectus urgeret, in Gal-  
lico exercitu jamjam sexdecim peditum,  
& tria millia equitum ad finem hujus  
mensis recenserebat: nec tamen horum  
numero territi Protocarerus, ac Mon-  
tenigrius die vigesima quarta Maji ex  
urbe in diversas partes erumpunt, at-  
que aggerem nondum perfectum prope  
Lon-

Sæcul XVI.  
A. C. 1597.

Longumpratum adoriuntur, eosque, qui illum tutabantur, fugant, cæduntque, Montinio autem in opem accurrente utrinque pertinaciter certatum: porro Bironius interea interjectum aggeri, & flumini aditum, ut viam hosti sese in urbem recepturo præpediret, occupare festinat, ab ipso tamen Didaco Durando, & Francisco Arcu præventus spe sua frustrabatur, ac Montenegro cum Hispanis peditibus in Gallos Equites irrumpente parum abfuit, quin Bironii copix a fronte, & a tergo interceptæ penitus delerentur, eas tamen Carnutensis Commendator cum reliquo Gallorum equitatu advolans e præsentis liberavit discrimine, adeo, ut Hispanis in urbem recedentibus, Bironius suos milites revocaret, dieque jam ad occasum inclinata certamen dirimeretur, æquatis utrinque decore, ac jactura. Ceterum die septima Junii Henricus Rex Parisiis redux unacum Connestabili ad castra pervenerat, secum adducens Moncellensem Marchionissam, quam etiam inter præsentanea vitæ, regni-que sui pericula semper perditè deperibat, hujus vero scorti præsentiam iniquo animo ferebant præcipui exercitus Belliduces, præsertim Bironius Marefcallus, qui de turpi hoc amore liberiorius pro more suo loquebatur. Porro

L 2

Rex

**Sæcul. XVI.** Rex stationem suam in semiruto sanctæ  
**A.C. 1597.** Magdalenæ cœnobio trans Somonam  
 Artesiam versus sito collocabat, &  
 quamvis illud crebris ex urbe displosionibus  
 expositum esset, Rex tamen inde  
 discedere noluit, ut ad subitos eventus  
 propior jussa sua dare posset.

§. LXXVII.

*Ambianum a Gallis arctius obsessum.*

*Avila l. 15.  
 Thuan. &  
 Daniel l. c.  
 Mem. de  
 Sulis t. I.*

Pluribus velitationibus acriori obsidione  
 præludebatur, alternante adhuc for-  
 tuna, præprimis vero Bironius urbem  
 quam vi non posset, astu expugnari  
 sollicitus noctu, quæ diem vigesimam  
 primam Junii sequitur, oblongos sac-  
 cos nitrato pulvere fartos in cavas mi-  
 nitionum partes, ac sub tormentis di-  
 spositis conjici jussit, ut pulvere ignem  
 concipiente ruina muro vicino inferre-  
 tur; cum autem milites ad hoc desti-  
 nati minus apte hæc machinas collo-  
 cassent, exinde plus terroris, quam  
 damni obsessis intulere, Galli vero non  
 sine suorum dispendio, ac pulveris pyrei  
 jactura retrocedere coacti sunt. Die  
 vigesima nona ejusdem Mensis Monte-  
 nigrius, ut Bironium muniendo Mag-  
 dalenæ cœnobio intentum præpediret,  
 ex urbe erumpens cum iis, qui structuram  
 moliebantur, atrox prælium con-  
 seruit, tandem vero superveniente ipso  
 Biro-

Bironio, & Alvernix Comite, sese paulatim quidem recepit, continenter tamen, ut strenuum decet militem, pugnando: periere in eo certamine ex Hispanis duntaxat decem, ex Gallis vero ducenti, plerique tamen eorum capti fuere. Hanc jacturam Bironius ulcisci meditans, ac Hispanos abs dubio rursus erupturos prospiciens sexcentos pedites in insidiis collocabat prope Sacellum quoddam pro erigendo aggere selectum, cum ergo Monte-nigrius pridiana victoria magis audax, quam providus, excurreret, cum suis in paratas incidit insidias, nec tamen propterea animo concidens Equites suos in unum agmen coactos in orbem circumducit, totoque impetu in eos, qui præfatum Sacellum firmabant, irruens, illos utpote numero inferiores in fugam egisset, nisi Bironius Montenigrum a tergo adortus subvenisset, eodemque tempore quædam Anglorum Legio præsto adfuisset: quare aucta utrinque pugnandi pertinacia, vincendique ardore denuo ad cruenti prælii necessitatem devenit, ac Montenigrus a tergo, & fronte simul petitus abs dubio oppressus fuisset, nisi Protocarerus cum reliquo Equitatu in auxilium advolasset, nihilominus Hispani aucto hostium numero repulsi ad primum usque urbis

Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

Sæcul. XVI  
A. C. 1597.

propugnaculum insectante hoste rejecti sunt. Variant Scriptores circa cæsorum numerum; quidam enim utrinque ducentos, alii ex Gallis trecentos, ex Hispanis vero nonnisi septuaginta in hac pugna, quæ duas ferme horas tenuit, desideratos referunt; ut res se habuerit, id certum est, quod Hispanorum jactura longe magis luctuosa fuerit ex cæde Joannis Gusmani, qui ex nobilissima Hispaniæ prosapia ortus, ætate quidem juvenis, in re tamen bellica omni expectatione maior in hoc prælio occubuit: cum autem Protocarerus urbis Gubernator hostium opera, quantum valeret, retardare, ac tempus eousque extendere niteretur, donec hujus moræ beneficio suppætiæ, quas ab Archiduce indies præstolabatur, adventare possent, hinc crebra eruptione hostem laceffere necesse erat: igitur Protocarerus die decima septima Julii eruptionem, quæ ab ipsis Gallis ob suorum stragem *magna* appellari solet, tentare statuit, ad quam ob recens damnum suis ab hoste allatum impellebatur; cum enim pro more Didacus Benavidius cum peditum, Equitumque agmine ea ex parte, qua Ambianum in reliquam Galliam prospicit, perbulatum egrederetur: Galli re observata in insidiis latentes die trigesima Junii

Junii pabulatores improvida securita- Sæcul. XVI  
 tis fiducia incautius, longiusque, quam A.C. 1597.  
 præscriptum erat, abreptos invadunt,  
 eorumque centum triginta perimunt, fi-  
 nister vero hic eventus non modo Hi-  
 spanorum animos ad erumpendum pro-  
 clives non repressit, sed vehementius  
 accendit, unde præfata die Protocare-  
 rus Didacum Durandum, & Franciscum  
 Arcum cum mille ducentis partim e-  
 quitibus, partim peditibus per diver-  
 sas urbis portas dato signo in hostes e-  
 rumpere jussit. Hi ergo primo impetu  
 Picardiæ legionem communi strage per-  
 rumpunt, cæsis illius Præfectis Mon-  
 tinio, Flessano, & Foquerollo, ceteris  
 qua fuis, qua dissipatis: igitur primis  
 hujus victoriæ auspiciis animosiores  
 facti Hispani, capto, quod Magdalenæ  
 cœnobio proximum erat, propugnaculo  
 Gallos ad castra toto pedum studio auf-  
 fugere compellunt, atque ad ipsos ag-  
 geres, & munimenta penetrantes edita  
 strage hostium tormenta impactis clavis  
 obstruunt: Bironius equidem in subsi-  
 dium adventans victoribus sese oppo-  
 nere satagebat, sed inundante magis,  
 magisque Hispano milite ejus vita, aut  
 libertas in extremo discrimine fuisset,  
 nisi Jonvillæ Princeps desperatione ani-  
 mum acuate cum militum centuria  
 accurrisset, qui tamen Sangrio cum  
 L 4 suis



Sæcul. XVI. A.C. 1597. suis Cataphractis succurrente ad castra  
 retrocedere cogebatur. Tam infausta  
 prælii forte territus Bironius Regem  
 monebat, ut ipsemet sua præsentia Gal-  
 lorum animos revivificaret. Ergo  
 Henricus ex Magdalenæ cœnobio ad-  
 volat, equo desilit, hastamque arripit,  
 eumque mox Alvernæ, & sancti Pauli  
 Comites, plurimique Nobiles sequun-  
 tur: accurrit etiam cum quingentis  
 Maduanus Dux, quo adventante per  
 duas omnino horas acriter decertatum,  
 demum vero Hispanorum Cataphracti  
 armorum pondere, ac repetito conflictu  
 necnon meridiano calore fatigati pau-  
 latim sese receperunt, lento tamen pe-  
 de, servatoque ordine, quippe jamjam  
 superati, adhuc victores esse contende-  
 bant, nec impune insequentis Jonvillæ  
 Comitum ictus excipiebant, per ipsa  
 Gallorum cadavera, gladiatorumque a-  
 cies viam ferro sibi aperientes, quini-  
 mo redintegrato prælio Hispani Equi-  
 tes in suorum subsidium superfusi Jon-  
 villam a Regis, Bironique cohortibus  
 se junxerunt, huncque postremum ple-  
 rique extinctum credebant, cum non  
 sine ingenti Regis, exercitusque læti-  
 tia cruore undique plenus, multisque  
 vulneribus affectus nonnisi cum paucis  
 sese conspiciendum offerret. Ceterum  
 Henricus Avila, qui huic pugnæ præ-  
 sens,

sens, ac vulneratus civilia Franciæ Sæcul XVI.  
A.C.1597.  
bella descripsit, Gallorum octingentos, Protocarerus vero in literis ad Albertum datis sexcentos fuisse cæsos refert: Thuanus equidem occisorum numerum non assignat, *maximam* tamen omnium cladem Gallis hac eruptione fuisse illatam fatetur: ex Hispanis autem nonnisi septuaginta, vel nonaginta cecidisse dicuntur: ab eo tamen temporis momento Protocarerus nullam tentabat eruptionem, eoquod præsidarii morbis, crebrisque pugnis imminuti, cives vero ad seditionem propensi essent.

## §. LXXVIII.

*Quorundam consilium de Urbe Gallis tradenda.*

Non deerant ex civibus non pauci, *Thu. Gallut. & Daniel.*  
qui jam dudum Gallorum imperio *l. c.*  
assueti parum Hispanis favebant, ex  
his autem plures ad quoddam Augustiniani Ordinis cænobium sæpius convenerant, ac de Urbis suæ statu liberius collocti de urbe Gallis tradenda conferebant: his opportune accessit quidam Militum Præfectus patria Burgundus, qui Augustiniani Ordinis vestem indutus in urbem irreperat, atque hujus rei executionem haud adeo difficilem significans civibus proponebat, quod turrim illam, quæ ad Orientem Corbejam

Sæcul. XVI.  
A. C. 1597. bejam versus respicit, civium potestati tradere paratus sit, ipsi vero præstituta hora Hispanos præfatæ turris custodes trucidant, quo facto Galli facili negotio in urbem ea parte introduci possent. Placuit civibus hujus perfidi consilium, quocirca ipse re cum Bironio Marefcallo constituta clam in præfatum coenobium sese insinuat, ac postea ad Regis castra reversus explicata proditionis suæ ratione Bironio significari voluit, ut dato, de quo cum civibus convenisset, signo milites suos scalis munitos, ac paratos teneret: verum tanti moliminis res inter tot conscios tam religioso silentio haud celari potuit, quin illius notitia per unum ex complicibus ad Protocaretum notitiam perveniret, quocirca hic conspiratione detecta novem ex præcipuis conjuratis die secunda Junii suspensio plecti præcepit, quosdam vero ejus loci Religiosos, cum ob mutuo datam Ordinis sui vestem in eos suspicio caderet, in carcerem conjecit, vel ut alii scribunt, urbe exulare jussit, ipsique Monasterio, portæque vicinæ validiores custodes adhibuit.

## §. LXXIX.

*Regis indulgentia erga Hugonottas.*

*Daniel hist. de France t. 10. p. 177.* Interea cum Hugonottarum consilia ad apertam seditionem spectare viderentur.

derentur, Rex novo illorum tumultu Sæcul. XVI.  
 Ambianensis obsidionis exitum haud A.C.1597.  
 parum retardari veritus, variis con-  
 cordiæ pactis rem diutius protrahere  
 inconsultum censebat: hinc postquam  
 cum delegatis a colloquio reversis de  
 articulis adhuc controversis deliberave-  
 rat, Schombergium ad Hugonottas Ca-  
 stri-Eraldi congregatos ablegat, eique  
 de reliquis capitibus in eorum libello  
 supplici expositis transigendi amplio-  
 rem concedit facultatem. Eo igitur  
 die vigesima quarta Julii adventante  
 Calvinistæ Trimellium, Paraberam, No-  
 vam, Albinium, & Motham, qui cum  
 illo conferrent, nominant, quibus Re-  
 gis nomine hæc proponebantur. I.  
 Sectam profitendi libertas sit in o-  
 mnibus illis locis, in quibus ab an-  
 no Christi millesimo quingentesimo  
 nonagesimo sexto usque nunc publi-  
 cus erat illius usus. II. In omni op-  
 pido, quod duabus leucis a præcipuis  
 urbibus distat, binas conciones habere  
 integrum sit, in Suburbiiis autem præ-  
 fatarum civitatum, quæ sunt Rotho-  
 magum, Divionum, Aurelia, Turo-  
 nium, Andegavum, Pictavium, Bur-  
 degala, apud Biturices, & Rhedones,  
 Lugdunum, Catalaunium, Bierra, &  
 Vienna, id concessum non sit, ne a  
 Catholicis tumultus, aut seditio ex-  
 citaretur:

Sæcul.XVI citaretur: cum autem Hugonottæ extra  
 A.C.1597. Parisinam urbem ejusmodi concionem  
 habendi facultatem urgerent, hinc Schombergius eis pollicebatur, se operam daturum, ut Rex in loco quatuor leucis a Lutetia disito concionem infitui concedat. III. Pro præfidiario milite, qui in securitatis urbibus est, sustentando Rex centum octoginta aureorum millia suppeditabit. IV. Has urbes per octo annos retinere poterunt. V. Rex urbium Gubernatores creabit illos, quos ipsi nominabunt. VI. Pro illorum Ministrorum sustentatione assignabuntur quotannis quadraginta aureorum millia. VII. Præter justitiæ tribunal Curiaë partim ex Catholicis, partim ex Calvinistis erigentur.

Cum ergo Rex ferme omnia, quæ Hugonottæ importunius petebant, eisdem concessisset, atque ipsi etiam in suo conventu congregati sibi plene satisfactum testarentur, hinc Schombergius tandem rebellium horum animos placari sperans, literas per Montmartinum ad Regem dabat, significans, fore, ut Rex horum animos in negotio tam perplexo magis dociles experturus esset, ipse vero Schombergius Castro-Eraldi Andegavum eo fine contendit, ut inducias a se, & Rupipotio ibidem cum Britanniaë foederatis pactas adhuc protrahi

trahi curaret. Ceterum Schombergius in sua epistola Regem rogabat, ut Bullionium, & Tremollium eo adigeret, quatenus ambo firmatis hisce pactis quantocius cum suis copiis ad Regem contenderent; jam enim antea Schombergius gravissimis rationibus utrique persuadebat, ut in Regis obsequium quasdam legiones conscriberent. Verum Henricus incassum hosce Duces sollicitabat, & quidem Bullionius adeo non Regis mandato, seu potius precibus deferebat, ut etiam ad Turronensem suum Vicecomitatum secederet: uude merito hujus Principis fides Regi suspecta erat.

Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

§. LXXX.

*Novi tumultus ab Hugonottis suscitati.*

Postquam Schombergius concordiae articulos cum Hugonottis sancitos ad Regem detulerat, hic pauca quædam magis restringenda censebat: id vero peropportunum accidit Proceribus Castri-Eraldi congregatis, cum enim rebellionem, non pacem quærerent, hæc pacta rescindendi ansam fuisse se nactos summopere gaudebant; eapropter impotentibus furiis, indomitaque rabie tumultuari incipiunt, & aliunde ob pacis consilia cum Hispanis agitata plurimum exacerbati Angliæ Reginam, Bata-

*Hist. de l'Edit. de Nantes l. 3.*

**Sæcul. XVI.** Batavosque implorare decernunt, eo  
A. C. 1597. fine, ut inchoata hæc pax penitus ever-  
 teretur. Ergo San-Germanum ad Eli-  
 sabetham, Forestum vero ad Mauri-  
 tium Ducem ablegant, qui ad Religio-  
 nis suæ incrementum plurima a Chri-  
 stianissimo Rege impetrata gloriantes  
 utrique Principi exponerent, quod Ec-  
 clesiis reformatis ex pace Hispanos in-  
 ter, & Gallos fancienda maximum im-  
 mineret periculum, quocirca ambo ad  
 dissipanda hæc consilia nec viribus, nec  
 auctoritati suæ parcerent, ac saltem tan-  
 tum efficerent, ut Protestantibus de iis,  
 quæ ipsis indulta fuere, idonee cave-  
 retur, atque in pacis fœdere sequens  
 apponeretur articulus: *Regina æque, ac  
 Mauritius fœderis fidem censebunt viola-  
 tam, si in hoc regno vel directe, vel indi-  
 recte, aut vi aperta bellum contra Prote-  
 stantes moveatur, vel moveri contra eos  
 toleretur, aut pacta cum illis firmata re-  
 vocentur, infringantur, vel executioni non  
 dentur.* Equidem ambo hi Deputati ab  
 utroque Principe perhonorifice excipie-  
 bantur, responsi tamen loco nil nisi  
 officiosa verba referebant.

§. LXXXI.

*Patriarchæ Alexandrini Oratores  
 Clementi VIII. obedientiam  
 præstantes.*

Jam

Jam olim anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio Theophilus Patriarcha Alexandrinus datis ad Adrianum VI. Pontificem literis Sedi Apostolicæ obedientiam, ac obsequium deferebat: cum autem Eutychetis, & Diolori errores semper prævaluissent, rursus hæ gentes ad pristinum Schisma prolapsæ sunt: singulari tamen divinæ providentiæ beneficio, ac luculento Orthodoxæ fidei prodigio, necnon assidua, paternaque summorum Pontificum sollicitudine inter medias, ac densissimas cæcitatæ tenebras Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ lux quadantenus ibidem conservata est, cujus præclarum specimen anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo tertio edidere Gabriel Patriarcha Alexandrinus, necnon ejusdem, ut vocant, Chorepiscopus nomine Joannes Comus; cum enim Papa jam antea ad Patriarcham unacum literis, & elemosyna Hieronymum Veuhietum misisset, Patriarcha æque, ac Joannes veritatis Evangelicæ pondere pressi consentientibus cunctis Ægypti Provinciis, & universa Æthiopica Ecclesia iis conjuncta Archidiaconum Alexandrinum, necnon Josephum, & Abdelmessiam, duos Monachos e deserto sancti Macarii ad Clementem VIII. summum Pontificem,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

*Ciac. in vit.  
Clem. VIII.*

*t. 4. p. 252.*

*Spond. ad  
ann. 1594.*

*num. 2.*

*Baron in  
An. tom. VI.*

*ann.*



Sæcul. XVI  
A. C. 1597.

tificem decernere statuerunt, ut nomine omnium sacræ Sedis obedientiam professuri ad universalis Ecclesiæ unionem palam recipi efflagitarent. Hi ergo præfato anno Mense Novembri ex Ægypto profecti, anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo quinto Romam pervenerunt, & Patriarchæ literas anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio die vigesima secunda Novembris ad Clementem datas, eidem porrigebant. Erat autem hujus epistolæ tenor sequens.

§. LXXXII.

*Patriarchæ Alexandrini epistola ad Papam.*

*Baronius l.c.* **H**umilis Gabriel Dei Gratia famulus Sedis sancti Marci in urbe Alexandrina Ægyptia, & in omnibus aliis locis sibi conjunctis, Australibus, Maritimis, & Æthiopicis nonagesimus septimus Patriarcharum, S. Marci Evangelistæ Successor salutem impertitur, atque osculum offert spirituale Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum Principi tertio decimo Apostolorum gloriosi Domini nostri Jesu Christi, & quinto SS. Evangelistarum, SS. Petri Apostoli Successori, Petræ fidei, super ejus Cathedra in magna Roma sedenti, cui data est a Deo potestas ligandi, atque solvendi, cujus mentio fit

in sacro Evangelio, cum dicit: tibi, o Pe-  
 tre, dedi claves Regni cælorum, quod li-  
 gaveris super terram, ligatum erit & in  
 cælis, tu enim loco ejus constitutus, &  
 successor es super terram, Pater noster,  
 & Dominus noster, atque corona capitis  
 nostri, Dominus Papa Clemens octavus,  
 Papa Romæ. Misereatur mei Dominus  
 benedictione orationum ejus. Gratias agi-  
 mus Deo altissimo, eumque sanctificamus,  
 & magnificamus: quod te constituit Chri-  
 stus Catholicæ fidei habenas tenentem, &  
 sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Roma-  
 næ Dei Ecclesiæ fundamenta servantem,  
 misericordem, & pium super universum  
 populum Christianum, ac diligentem om-  
 nes in Christum credentes instar Beatissi-  
 mi Petri, qui te succedere fecit in ejus  
 Cathedram. Tu qui effectus es caput, &  
 maximus Patriarcharum, & Magister,  
 & Prædicator totius populi Dei, illos  
 doctrinis tuis spiritualibus irrigas, eosque  
 sermonibus tuis cibus salutaribus: quam  
 ob causam sanctas literas tuas ad humili-  
 tatem nostram misisti per filium benedictum,  
 dilectum, amabilem, devotum, orthodoxum,  
 Hieronymum Veuhietum: quibus postquam  
 astitimus, sigilloque excellenti aperto de-  
 osculati sumus, ac si sanctam tuam de-  
 oscularemur imaginem, & ab eis gaudio  
 affecti sumus, tanquam Pauli Apostoli,  
 ceterisque Catholicis epistolis, & gratias  
 Hist. Ecclesiæ. Tom. LII. M agi-

Sæcul.XVI.  
 A.C.1597.

Sæcul. XVI. *egimus Deo excelso ob nimiam erga nos  
 A.C. 1597. dilectionem tuam, ac preces ad Dominum,  
 cui laus, effudimus, ut te super sedem suam  
 cum quiete, & tranquillitate ad annos plu-  
 rimos conservet. His præmissis Patriarcha  
 grato, ac submisso animo recensebat  
 quod summi Pontifices variis temporibus  
 hæc gentes missis ad eas Legatis  
 ad unionem cum sancta, Catholico-Ro-  
 mana Ecclesia hortati fuerint, ac præ-  
 cipue Joannes Baptista hanc in rem cum  
 literis Gregorii XIII. Papæ ad Ambro-  
 Joannem numero nonagesimum sextum  
 Alexandria Patriarcham missus, ac de-  
 nuo regnante Sixto V. ad eundem Pa-  
 triarcham reversus fuerit: demum ve-  
 ro commemorat, quod Ambrosius Epi-  
 scopus Auriensis ad Ambro- Gabrielem  
 nonagesimum quintum Patriarcham  
 Papa decretus, Ægyptiis tum sacrum  
 exposuerit Evangelium. His expositis  
 Patriarcha ita prosequatur: *crevit apud  
 nos, & apud omnes filios nostros  
 Christianos Dei populos gaudium, & læti-  
 tia, quod ad nos pervenerunt literæ tuæ,  
 maxime Pater, per dictum filium tuum be-  
 nedictum Hieronymum. Rogamus itaque  
 Sanctitatem tuam, eique supplicamus, ne  
 obliviscaris nostri in continuis orationibus,  
 & petitionibus tuis ad Deum, ut nos adju-  
 vet, atque confirmet in fide recta, efficiat-  
 que, ut, quæcunque divina, atque spiri-  
 tualia**

tualia jufferis mandata, adimpleamus, nos-  
 que liberet a rapacibus Satanæ lupis: su-  
 mus etenim miseri, ac impotentes, & in  
 mari peccatorum immersi, neque alia nobis  
 remanet salus, quam summi Dei gratia, &  
 continuæ, ac sanctæ pro nobis orationes  
 vestræ; apud me enim humilem nulla est so-  
 cordia, vel repugnantia erga divina præ-  
 cepta: & sicuti antiquitus erant Patres  
 Prædecessores in Sede Romana, & in  
 sancti Marci Sede ad hoc usque tempus  
 spirituali cum dilectione, ac vera charita-  
 te, ita eorum vestigia imitamur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.

Si vero quæsierit prædictus D. Pater  
 de professione, & fide nostra in Christum  
 Dominum, deque mirificæ incarnationis ex  
 immaculata semper Virgine Maria demon-  
 stratione; hæc omnia sunt apud vos definita  
 a Patribus Antecessoribus sanctis Patriarchis,  
 in Archivis Romanis servata, prout etiam  
 apud nos scriptis est traditum. Si autem  
 quæsierit de paupertate, miseria, oppres-  
 sione, ac nimio labore nostro, in quibus  
 vivimus; quamplurima sunt, nec ea alius  
 scit, quam solus Deus, cui laus: sumus  
 tamen divites excelsi Dei gratia, ejus freti  
 misericordia, quæ adjuvat inopes, & in-  
 digentes, sicuti sum ego miser. Gloriosum  
 ergo Dominum roget Pater omni tempore,  
 ut nos sua misericordia adjuvet, suaque gra-  
 tia amplectatur; ut mandata divina, atque

M 2

præ-

Sæcul. XVI. præcepta Evangelica, quæ nobis iusserit  
 A.C. 1597 adimpleamus.

Sanctitatem tuam certiore facio ego  
 humilis, missos esse a nobis cum his literis  
 filios benedictos Sacerdotem Josephum, &  
 Sacerdotem Abdelmessiam (benedicat eis Deus)  
 ut sistant se coram Domino Patre, nostraque  
 nomine salutem ei impertiantur, pedesque  
 vestros deosculentur, & gratias vobis agant  
 de vestra in nos benignitate, vicesque nostras  
 gerant, & vobis nostram narrent paupertatem,  
 ac miseriam, atque Monachorum, pupillorum,  
 & locorum nostrorum. Rogamus ideo Patris  
 Sanctitatem, ut illos & nos benigne respiciat,  
 & commendatos habeat, utque ad nos ope,  
 & auxilio subleventur, & incolumes ad  
 continuationem, & huius negotii, ac divinæ  
 servitutis, quam nobis injunxistis, perseveran-  
 tiam, & ipsi innotescere facient Sanctitati  
 Vestre ore, absque scriptis, quod sis Christi  
 Vicarius, & Patriarcharum, atque Catholice,  
 & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ caput, tibi-  
 que ore proprio testimonium perhibebunt:  
 & quicquid dixerint, veluti ex ore nostro  
 accipies; & quæ Pater eos decuerit, nobisque  
 significaverint, cum ad nos reversi fuerint,  
 acceptabimus nemine repugnante, & quæ  
 ipsis mandaveritis, & præceperitis, nos  
 exequemur.

Deum altissimum rogamus, ut Ecclesia  
 sit una, Catholica, & Apostolica sine  
 divisione,

visione, & sine separatione, ut efficiamur Sæcul. XVI.  
 Christi membra dilectionis, & charitatis A.C.1597.  
 ligamine colligati sine schismate, precibus  
 Sanctissimæ Domine Marice semper Virgi-  
 nis, & optimorum Patrum nostrorum San-  
 ctorum Apostolorum. Amen, & Laus Deo  
 sempiterna. Epistolæ versus sunt octoginta  
 octo, excepta divini nominis invocatione,  
 signoque sancto; neque inter versus est ali-  
 quid interpositum, neque in ejus margini-  
 bus verbum aliquod præter id, quod scri-  
 ptum est in ea, suntque obsignatæ conjun-  
 ctiones ejus solito Cameræ nostræ sigillo,  
 & Domino nostro gloria sempiterna, Scri-  
 psimus die decima sexta mensis Hatur be-  
 nedicti, Anno a sanctis Martyribus mil-  
 lesimo trecentesimo decimo, id est, die vige-  
 sima secunda Mensis Novembris, anno Do-  
 mini millesimo quingentesimo nonagesimo  
 tertio.

§. LXXXIII.

*Mandata hisce Oratoribus a Patri-  
 archa data.*

Insuper idem Patriarcha utrique Mo- Baron. l.c.  
 nacho Legationis obeundæ mandata de Legat.  
 anno Christi millesimo quingentesimo Eccl. Ale-  
 nonagesimo tertio die vigesima secunda xand. ad  
 Novembris dabat, potissimum injun- Apost. Se-  
 gens, ut in omnibus summo Pontifici dem.  
 obtemperarent, eumque debito honore  
 prosequerentur: ipsa vero hujus man-

M 3 dati

Sæcul.XVI. A. C. 1597. dati verba recitat idem Baronius, quæ huc referre haud injucundum erit: quod ab ipsis, scripsit Patriarcha ad suos Legatos, volumus, est, quod gloriosi Domini obtulimus donum, & cum eorum dilectione convenimus, ut ipsos mitteremus ad Dominum Patrem, Patrum Patrem, capitulum, & Patriarcharum Principem super S. Petri Apostoli Cathedra in regione Romana sedentem, Catholicum, & Apostolicum Christi Domini super gregem ejus Successorem, & Vicarium Dominum Papam Clementem Octavum: Perpetuos efficiat Deus Altissimus dies Pontificatus ejus, & misereatur mei abjecti, totiusque populi Christiani, meritis orationum ejus. Amen.

Itaque obtemperaverunt rogationibus nostris, curamque, & humanitatem ipsorum requisivimus, ut ubi pervenerint ad D. Papam Clementem, pedes ejus pro nobis deosculentur, ejusque mandata auscultent, & eis obediant, sintque coram eo, & in ejus famulatu stantes, & obedientes, ejusque sermones auscultantes, ac si essent ex ore Christi Domini, ex præsentia, & reverentia ejus timentes, Sanctitati ejus supplices, quousque ad nos inde redierint, & vices nostras gerant, eique narrent paupertatis, & miseriæ nostræ, ac Monachorum nostrorum, pupillorum, & locorum statum Patris Sanctitati supplices.

ces, ut vos, & nos benigne respiciat, at-  
 que commendatos habeat, utque ad nos  
 redeatis ejus auxilio salvi, & incolumes ad  
 continuam dilectionem, & ad omnium, quæ  
 vobis præcepimus, observantiam in divina  
 servitute erga D. Papam Christi Successorem,  
 qui est caput Patriarcharum, & basis Ca-  
 tholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ,  
 & quicquid dixeritis ex ore vestro, tan-  
 quam ex nostro erit prolatum, & in sermo-  
 nibus ejus confirmamini; quoniam omnia,  
 quæ ipse vobis ore suo dixerit, tanquam  
 ex ore Christi erunt prolata.

Ideo ea suscipite, eisque obedite, & man-  
 datis ejus ne sitis repugnantes: quicumque  
 enim divinis ejus præceptis non obtempera-  
 verit, Christo Domino, qui sua gratia  
 ipsum erexit, minime obtemperat: itaque  
 omnia, quæ vobis dixerit D. Pater circa  
 sanam professionem, atque rectam in Catho-  
 lica, & Apostolica Romana Ecclesia fidem  
 nobis referetis, & ea exequemur una cum  
 gente nostra. Quam ob rem eundem vobis  
 repetimus sermonem, ut sitis auscultantes,  
 & obedientes absque repugnantia: omnia  
 enim, quæ mandaverit D. Pater, nos exce-  
 quemur, & quicquid Evangelium per os  
 ejus reprobaverit, si apud nos erit, repro-  
 babis: cumque redieritis ad nos, & opti-  
 ma renuntiaveritis mandata, non transgre-  
 diemur ea. Horum autem omnium funda-  
 mentum est, ut Ecclesia Romana, & Ale-



saecul. XVI. *alexandrina sit una, vinculo charitatis sine*  
A.C. 1597. *divisione colligata*

Pariter Joannes Comus Alexandriae Chorepiscopus eodem anno die decima octava Decembris epistolam ad Pontificem dedit, quæ a Patriarchæ literis parum absimilis est.

## §. LXXXIV.

*Fidei professio a Legatis Romæ facta.*

*Clacon.*  
*pag. 252.*  
*Baron. l. c.*

Die decima quinta Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto tam Patriarchæ Legati, quam Joannis Comi Orator nomine Barfus Amineldauch ad Pontificis alioquium admissi, perbenigne excipiebantur, ubi præsentem Papa, cunctisque S. R. Ecclesiæ Cardinalibus palam fidei professionem edebant, nomine totius Alexandrinæ Ecclesiæ hæc fidei Catholicæ capita profitentes. I. „Deus est „unus in essentia, & trinus in Personis, „ac Spiritus sanctus a Patre, Filioque „procedit. II. Christus carnem nostram „assumpsit, natus ex Maria semper Virgine, quæ est vera Dei Mater. III. „Idem pro nobis vere passus, & mortuus est, judicaturus vivos, & mortuos. IV. Legalia omnia Veteris Testamenti Evangelio plene promulgata cessarunt. V. Septem dantur Sacramenta. VI. Datur Purgatorium, & „infer-

„infernus. VII. Defunctis profunt si- Sæcul. XVI.  
 „delium preces, & Missarum sacri- A C.1597.  
 „cia. VIII. Profitemur Symbolum Con-  
 „cilii Nicæni, & Constantinopolitani  
 „necnon omnes tam veteris, quam novi  
 „Testamenti libros acceptamus. IX.  
 „Recipimus Synodum Nicænam I. Con-  
 „stantinopolitanam I. Ephesinam I., &  
 „Chalcedonensem necnon Constan-  
 „tinopolitanam II. & III. item Nicæ-  
 „nam II. & Synodum Florentinam, ac  
 „Tridentinam una cum omnibus aliis  
 „Conciliis, quæ sancta Romana Eccle-  
 „sia recipit, & approbat X. Agnosci-  
 „mus summum Pontificem tanquam  
 „Christi Vicarium, & totius Ecclesiæ  
 „Caput, cui omnem spondemus obe-  
 „dientiam, eaque omnia, quæ sancta  
 „Ecclesia docet, & prædicat, profite-  
 „mur, detestantes singulos errores,  
 „quos eadem Ecclesia damnat. „ Huic  
 fidei professioni subscripti erant omnes  
 tres præfati Legati.

Postquam igitur hi Legati impias  
 Eutychetis, & Dioscori hærefes dete-  
 stati Catholicam fidem integre, ac sin-  
 cere Cophtorum nomine professi fuerant,  
 sponponderunt, quod Patriarcha, &  
 Chorepiscopus eandem professionem  
 confirmaturi, eamque rursus edituri, de-  
 mum vero subscriptam, sigilloque mu-  
 nitam ad Pontificem transmissuri essent,

M 5

Porro

Sæcul. XVI. Porro hoc etiam ab eis integra fide eodem adhuc anno præstitum est; cum autem antea observaretur, quod in quibusdam Cophtorum Ægyptiorum literis nonnulla minus proprie dicta fuerint contenta; quippe in Christo quidem duas agnoscebant naturas inseparabiles, & inconfusas, post unionem tamen duas in eo naturas fateri detrectabant, hinc Bellarminus censebat, hosce Cophtos ad Ecclesiæ unionem non esse admit- tendos, nisi Dioscorum apertis verbis detestarentur, & Synodum Chalcedonensem, sanctique Leonis epistolam, omnesque approbatas Synodos admit- terent, duasque in Christo naturas abs- que ullis ambagibus profiterentur: cum autem hi fidem Catholicam in omni sua puritate recipere parati essent, hinc in præfata fidei professione cuncta ea, quæ adhuc desiderari videbantur, claris verbis confitebantur.

## §. LXXXV.

*Pontificii Oratoris sermo ad hosce Legatos.*

**H**is igitur feliciter peractis Sylvius Antonianus, qui Papæ ab episto- lis erat, brevi oratione hisce Legatis Papæ lætitiâ, conceptumque desuper animi sui solatium testari jubebatur, qui etiam orationem jamjam paratam habe-

Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

habebat, cum autem pituitæ fluxione laborans eam pronuntiare præpediretur, Clementis Papæ jussu Marcellus Vestrius alter Pontificis Secretarius alia haud absimili oratione Legatis respondit: ceterum Antoniani orationem, cum ad illustrandam Legationis hujus historiam conducit, huc referre haud inconsultum erit: est autem illius tenor sequens: *Ecce! Angelus pacis, Oratores Ægyptii, iterum reduxit vos in viam rectam, & in civitatem illam habitationis, quam unam elegit, & solam inhabitat ipse, qui fundavit eam, Altissimus: venistis enim recta via, quæ ducit ad veritatem, & vitam, ad Ecclesiam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam, Ecclesiarum omnium caput, Matrem, & Magistram; missi estis, ut filii obedientiæ, & Nuntii pacis, a Viro Venerabili Gabriele Patriarcha Ægypti, qui non minori pietate, quam prudentia Spiritus sancti lumine humiliter recepto, ad Petram fidei confugit, & ad montem Domini ascendit, ut legem acciperet in Sion, & verbum Domini audiret in Jerusalem. Lætatur Sanctissimus Dominus Noster cum his Illustrissimis Cardinalibus, & omnibus Aulæ Romanæ Ordinibus de adventu vestro, vosque ut Oratores fratris sui in Christo amantissimi, summa cordis, vultusque hilaritate excipit, ipsumque Patriarcham in spiritu charitatis complectitur,*

tur,

Sæcul. XVI. tur, & benedicit, gratulaturque illi, quod  
A. C. 1597. eo potissimum tempore post longa ætatum  
 intervalla Ecclesia Alexandrina ad Roma-  
 nam, S. Marci Successor ad Beatissimi Pe-  
 tri Apostolorum Principis Successorem, filia  
 ad Matris complexum, discipulus ad Ma-  
 gistri doctrinam, filius ad Patris obedi-  
 entiam redierit, & nobile illud Ecclesiæ Ca-  
 tholicæ membrum, quod antea divulgum  
 erat, nunc singulari Dei benignitate Capiti  
 suo cohæreat: Deo igitur, bonorum om-  
 nium Auctori, gratias agit Sanctissimus  
 Dominus Noster, quod sanctum hoc Unio-  
 nis negotium feliciter absolutum sit. Tum  
 Patriarcham collaudat, quod Catholicæ  
 fidei professionem, quam ipse professus  
 est, in primariis Ægypti Civitatibus  
 promulgari, & per adjacentes regio-  
 nes a suis provincialibus Episcopis per-  
 vulgari, ac doceri, & curaverit, &  
 curaturus sit, atque omni tempore, se  
 in unitate Romanæ Ecclesiæ, & obe-  
 dientia summi Pontificis permansurum  
 spondeat: qua ratione, & suæ, & po-  
 pulorum suorum salutis optime consulit.  
 Insuper Antonianus suæ orationi inseruit,  
 quod acceperit sanctissimus Dominus  
 Papa una cum Venerabilibus Fratribus  
 suis S. R. E. Cardinalibus debitam obe-  
 dientiam a venerabili Patriarcha Sancti-  
 tati suæ per hos Legatos præstitam, &  
 illi vicissim gratiam, benevolentiam, &  
 patro-

patrocinium suum, atque hujus sanctæ <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 Apostolicæ Sedis amantissime pollicea- <sup>A.C.1597.</sup>  
 tur, Deumque pacis, & totius conso-  
 lationis precetur, ut hoc opus, quod  
 ipse operatus est, confirmet, atque in  
 unitate fidei, & vinculo Charitatis per-  
 petuo conservet. Hæc oratio ob præ-  
 fatam rationem ab Antoniano recitata  
 non fuit.

## §. LXXXVI.

*Legati summo Pontifici obedientiam  
 ritu solemniter spondentes.*

Ceterum hic idem summus Pontifex <sup>Baronius in</sup>  
 jam sæpius Orientalium Nationum <sup>append. ad</sup>  
 Legatos, qui Romanæ Ecclesiæ obse- <sup>t. 7. ann.</sup>  
 quum ejuratis pristinis erroribus pro-  
 fessuri venerant, cum summa animi sui  
 lætitia exceperat; quippe Ruthenorum  
 Ecclesia, quam Græca rursus post Flo-  
 rentinam Synodum secum præcipitem  
 in ruinam traxerat, post centum, &  
 quinquaginta annorum spatium agnito  
 errore denuo sanctæ Romanæ Ecclesiæ  
 uniri desiderabat; quocirca anno Chri-  
 sti millesimo quingentesimo nonagesimo  
 quarto die secunda Decembris Michael  
 Metropolita Kioviensis unacum septem  
 ceteris ejusdem Nationis Præsulibus de  
 recipienda communione Ecclesiæ Ca-  
 tholicæ decretum edebat, illudque  
 suo chirographo munitum per solem-  
 nem

Sæcul. XVI. nem Legationem ad summum Pontificem transmittibat, una cum humillima epistola ad eundem die duodecima Junii anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo quinto data, cui præter Michaellem Archiepiscopum novem Episcopi subscripserant. Postea eodem mense, & anno missi ab eis Legati perhonorifice non minus, ac laute a summo Pontifice Romæ excipiebantur, & die vigesima tertia Decembris die Sabbato in Constantiana Vaticani Palatii aula coram Pontifice, totoque sacro Collegio, pluribusque Proceribus ad alloquium admissi legationis suæ feriem in terram prostrati exponebant, literasque, quibus suæ Nationis nomine fidem Catholicam, Sedisque Apostolicæ obsequium profitebantur, Clementi VIII. Papæ legendas offerebant, quibus Silvius Antonianus Pontificii cubiculi Præfectus Pontificis nomine eisdem felicem hanc sortem brevi oratione gratulatus eos de paterna Pontificis charitate certiores reddebat: quibus peractis Legati singuli scriptam fidei Catholicæ professionem ediderunt, tactisque sacris Evangeliiis juramento ac proprii chirographi appositione firmarunt: demum vero summi Pontificis pedes singulari submissione deosculantes surrexerunt, eosque Papa in Ecclesiæ

fidei gremium lætanter fuscipiens, atque ad fidei constantiam hortatus omnem illis opem pollicebatur, eisque data benedictione Apostolica sacrum Conventum dimittebat. Sequenti anno idem summus Pontifex, dum Maronitas Montis Libani incolas quibusdam erroribus laborare compererat, animarum studio animatus Hieronymum Dandinum, & Fabium Brunum Societatis Jesu Patres ad eos ablegabat, ut cum Romana Ecclesia sentientes confirmarent, in errorem autem forte lapsos ad veritatis semitam reducerent. Hi ergo iter aggressi, secumque præter pecuniam argenteos calices, pios libros, sacras vestes. ac Pontificium pro eorum Patriarcha ornatum deferentes, illos hortabantur, ut sinistram de ipsis conceptam opinionem sincera fidei expositione quantocius eluerent. Paruere illi, atque anno Christi millesimo quingentesimo sub Sergio Petro Patriarcha Synodum celebrarunt, in qua tredecim illis erroribus, qui eis imputabantur, totidem veræ fidei capita opponebant, quæ pro veteri Ecclesiæ more paulo post Synodi nomine Josephus Petrus Patriarcha Sergii Successor non modo restaurabat, sed etiam a summo Pontifice confirmari petebat. Ceterum hujus Synodi acta ex Hieronymi Dandini libro

Sæcul.XVI.  
A.C.1597.



**Sæcul. XVI.** libro de Missionibus Apostolicis descri-  
**A.C. 1597.** pto Mansius ad suum Conciliorum sup-  
 plementum transtulit, ubi eadem tomo  
 quinto pagina 1213. & sequentibus re-  
 periuntur: nos vero ad Ægyptiorum  
 Legationem redimus.

## §. LXXXVII.

*Legati Ægyptii summo Pontifici ob-  
 dientiam ritu solemni spondentes.*

**Ciacon. l. 6.** FERIA quarta die vigesima quinta Junii  
 hoc anno post Christum natum mil-  
 lesimo quingentesimo nonagesimo septi-  
 mo denuo Clemens VIII. summus Pon-  
 tifex tres hosce Alexandrinæ Ecclesiæ,  
 universæque Ægypti Legatos in Pala-  
 tio Montis Quirinalis coram omnibus  
 Purpuratis convenire iussit, ubi tam Pa-  
 triarchæ Alexandrini, quam Joannis  
 Comi Chorepiscopi literæ, necnon Le-  
**Syle. Anton.** gatorum mandata publice prælegeban-  
 tur, quibus recitatis hi Oratores de Le-  
 gationis suæ causis, ac debitæ submis-  
 sionis voto brevem sermonem habebant,  
 postea vero omne obsequium, submis-  
 sionem, atque obedientiam in omnibus,  
 quæ fidem Orthodoxam, Ecclesiæ, mo-  
 rumque disciplinam spectant, promptis-  
 simo animo spondebant, quibus peractis  
 Marcellus Vestrius, uti memoravimus,  
 oratione admodum succincta, satis ta-  
 men efficaci tot perditarum ovium redi-  
 tum

tum ad Christi ovile gratulabatur: de-  
 mum vero hi Legati non modo paterno  
 affectu, sed etiam summa liberalitate, ac  
 magnificentia per duos ferme annos Ro-  
 mæ habiti, amplisque donis aucti tan-  
 dem in patriam suam reversi sunt: ce-  
 terum sincera fuisse hujus Patriarchæ  
 desideria vel exinde patet, quod fidei  
 confessionem, quam ejus Legati Romæ  
 totius nationis nomine ediderant, non  
 modo ipsemet, uti promiserat, ratam  
 habuerit, sed etiam eandem in præci-  
 puis Ægypti urbibus promulgandam, at-  
 que in locis adjacentibus ab Episcopis  
 provincialibus divulgandam curarit.

## §. LXXXVIII.

*Henricus IV. Franciæ Rex pecunia-  
 rum suppetias ab Angliæ Regina  
 efflagitans.*

**E**quidem Elisabetha Regina ad Henrici  
 preces quatuor Anglorum millia  
 juxta fœderis priori anno initi leges sup-  
 peditabat, petebat tamen, ut hæ copixæ,  
 quamdiu sub Gallorum vexillis milita-  
 rent, ipsius Regis expensis alerentur,  
 eoquod Anglicum ærarium tam classe  
 nuper instructa, quam etiam exercitu in  
 Hibernia contracto exhaustum penitus  
 esset: cum vero non minus Franciæ Rex  
 eadem penuria laboraret, hinc per suos

*Hist. Eccles. Tom. LII. N Le-*

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.

Sæcul. XVI.

A.C 1597.

Legatos illam impense rogabat, ut eadem largo pecuniarum subsidio præsto esset, quam in rem ei significari iussit, quod seorsim ea inscia pacem cum Hispanis firmandi opportunitas eidem fuisset oblata, vi cuius Philippus II. se omnes (excepta Caletensi, & Ardesiana) urbes restitutum promississet, dummodo ab Anglorum fœdere secederet: data tamen fidei religione, necnon erga ipsam Regnam affectu ab hoc consilio se deterritum dicebat. Ad hæc Elisabetha Gallicis oratoribus ita respondit: „Haud mihi persuadere valeo, quod Princeps adeo magnanimus fœdus non ita pridem matris tuis juramentis solemniter sancitum temere violare voluerit: de cetero autem Rex nuperi fœderis memor sit, cum ibidem disertis verbis cautum esset, quod *Angliæ Regina quatuor peditum militaria etiam pro sequentibus annis suppeditatura sit, si absque illius incommodo id rerum suarum, temporumque vicissitudo permittat.*“ Ex his autem verbis manifeste patere, inquiebat Regina, quod ipsa fœdus nequaquam violet, cum ipsa promissas copias præmiserit: insuper eadem Henrico Regi quamdam pecuniarum summam offerebat, cumque pro ea idonee caveri peteret, Rex Caletum offerebat, ea tamen lege, ut ipsa hanc urbem solis suis viribus intra præscriptum

scriptum tempus recuperare fatageret: **Sæcul XVI.**  
 attamen Regina captiosam esse hanc **A.C.1597.**  
 pollicitationem rata probe prospiciebat,  
 quod Franciæ Rex vel maxime intende-  
 ret, ut hoc pacto magnam Hispani ex-  
 ercitus partem a se in Anglos non sine  
 maximo Gallicæ rei incremento conver-  
 tere posset, aliunde vero hujus urbis ex-  
 pugnatio satis ambigua, tempusque,  
 quod Rex præscripturus esset, abs dubio  
 valde restrictum foret. Hæ ergo ratio-  
 nes Elisabetham, quo minus Regis desi-  
 derio satisfaceret, absterrebant,

§. LXXXI.

*Seditiosi Rusticorum motus in Austria.*

Hucusque rusticorum tumultus in Au- **Thu. l. 119.**  
 stria nova semper incrementa ce- **p. 814.**  
 pere; cum enim hi ob continuum exer-  
 cituum transitum, necnon militum, uti  
 fieri amat, licentiam exasperati essent,  
 hoc anno seditionis suæ Ducem sibi ele-  
 gerunt Georgium Brunerum vilis condi-  
 tionis hominem, qui tripartito suorum  
 agmine emissis obvios quosque ad sua  
 signa cogens, edito libello rusticorum  
 querelas divulgabat; querebantur au-  
 tem illi, quod ipsis immodica adeo tri-  
 buta a Nobilibus imponerentur, ut de  
 suo labore ferme nihil percipere vale-  
 rent, sed omnium proventuum trien-  
 tem iisdem persolvere cogerentur: in-  
 super

N 2

super

Sæcul. XVI. super etiam tot operas tributarias, seu  
A. C. 1597. angarias præstare juberentur, ut nec  
 quidquam rustici operis peragere possent,  
 semperque militum discurrentium vexa-  
 tionibus premerentur. Enimvero mi-  
 seratione digni fuissent, nisi malis suis  
 remedium per seditiosa arma quæfissent:  
 hi autem suos dominos injecto metu se-  
 dibus, castrisque pellebant, ac non pau-  
 cos prima etiam dignitate conspicuos in  
 vincula conjiciebant: cum ergo aperta  
 ejusmodi seditio ob Turcas oppido vic-  
 nos summe periculosa esset, Rudolphus  
 Cæsar pro innata sua clementia quos-  
 dam ad hosce seditiosos ablegabat, qui  
 eorum querelas exciperent: cum autem  
 rustici sibi nondum plene satisfactum  
 crederent, ommissa pacis ratione ad ex-  
 trema prolapsi sunt, & quamvis hi, qui  
 prope Bohemicam sylvam habitabant, a  
 Cæsare moniti ab armis desisterent, illi  
 tamen, qui cis Danubium sedes habe-  
 bant, violata fide acriorem, quam antea,  
 seditionem concitabant: hos ergo Geor-  
 gius Colonitius aggrediebatur, incenso-  
 que pago, cui nomen Strassa, quingentos  
 eorum occidit, unde reliqui terrore af-  
 fecti obtenta vitæ gratia se nil ultra mo-  
 lituros spondebant: mox autem ad signa  
 rursus conveniunt, ac undique conqui-  
 sito tormentorum, armorumque appara-  
 tu Palcam Austriæ oppidum sibi tradi  
 pe-

Sæcul. XVI.  
A. C 1597.

petunt, Lilefeldam unacum magnifico Monasterio spoliant, Hyppolitopolitanæ urbi exercitum admovent, atque a civibus exclusi oppidum arctè cingunt: ast nocte intempesta Sarinius Comes cum selecto milite superveniens rusticorum castra tam ingenti metu replebat, ut hi longe majorem, quam re ipsa erat, Cæsarei militis numerum adventasse rati, fuga sibi consulere: postea vero saniores poenitentia ducti ceteris Auctores erant, ut culpam suam detestantes Cæsaris clementiam implorarent, ac præcipuos seditionis incentores captos poenæ dederent. Ergo non pauci ab ipsis rusticis in vincula conjecti Cæsareis Belliducibus traduntur, quorum nonnulli instructis iudicii actis severas perfidiæ, ac crudelitatis suæ poenas luerunt.

§. XC.

*Continuatum in Hungaria bellum contra Turcas.*

Composito hoc rusticorum tumultu Cæsar ad bellum Turcis in Hungaria cum majori impetu, magisque certis successibus spe inferendum cuncta necessaria disponere satagebat, ac præprimis Sigismundus Battorio Transylvaniæ Principi, qui ad ipsum Pragam profectus erat, auxiliares copias præter

Struv. tom.  
2. corp. Hist.  
Period. 10.  
sect. 7. §. 16.  
Thu. l. c.  
Palat. in vita Rudolphi.

N 3. pecu-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

pecuniarum subsidia pollicitus est, ac praeriter nova militum supplementa a summo Pontifice, atque Imperii circulis submissa ad expeditionem Hungaricam destinabat: ineunte autem mense Maji Bernesteinius, & Palfius Tatham, seu Theodatam urbem recuperare meditantur, hancque in rem tres Hungaros linguæ turcicæ peritos præmittunt, qui Turcarum more vestiti se a Budensi Basa eo fine missos fingebant, ut præter annonam ab Achmete coemptam literas ad Tatanum Governatorem deferrent. Sub idem tempus Bernesteinius superveniens die duodecima Maji curram quo machina ad evertendos muros apta clam vehebatur, ad pontem usque propelli jubet, Turcis vero, quo consilio curram portæ admoverent, interrogantibus, Hungari responderunt, hoc Heiuducorum passim circumvagantium metu fieri; mox autem igne machinæ admoto ingenti fragore portæ diffiliunt, ponte pensili diruto: tum vero Cæsarei ad motis scalis mænia superant, alii ponte super fossam strato in urbem irrumpunt, moxque Turcæ inopino hoc casu perculsi post leve certamen huc illucque dilabuntur, potissimis eorum aut cæsis, aut captis, quos inter ipsemet Governator cum uxore sua, liberisque recensebatur: Bernesteinius vero

*Schwandtuf.*  
*Script. rer.*  
*Hung. tom. 2.*  
*p. 765.*

vero valido milite arci imposito, actis-  
 que Deo gratiis Pappam versus cum re-  
 liquo exercitu contendit, ubi prope Po-  
 fonium, & Altemburgum mense Julio, &  
 Augusto circiter viginti quatuor bella-  
 torum millia convenerant, Ductore Ma-  
 ximiliano Austriæ Archiduce, cujus  
 jussu Nadaftius, & Colonitius ad explo-  
 randa itinera præmissi in ducentos Jani-  
 scaros inciderunt, atque ex iis circiter  
 quinquaginta trucidarunt, quibusdam  
 captis, atque ad Maximilianum addu-  
 ctis. Die decima tertia Augusti Pappa-  
 næ urbis obsidioni initium dabatur non  
 sine prospero expeditionis successu; urbs  
 enim post octidui obsidionem feliciter  
 expugnata est, Turcis ad arcem auffu-  
 gientibus, in qua ducenti Christiani in  
 vinculis detinebantur, quorum ut vitæ  
 parceretur, obsessis indultum, ut inco-  
 lumes urbe exirent, cum autem Turcæ  
 avaritiæ, & invidiæ stimulis agitati non  
 modo pretiosa quædam diriperent, sed  
 etiam aureos nummos devorarent, hinc  
 victores inde ansam cepere, ut eos spo-  
 liarent, ac repugnantes occiderent, at-  
 que in cæforum stomachis aurum per-  
 scrutarentur. Præterea Rudolphus Cæ-  
 sar Mehmetem Zerdarum Bassam, qui  
 Vaciam a cæsareo exercitu derelictam  
 occupaverat, sæpius a Maximiliano vi-  
 ctum, & profligatum, ad petendam pacem  
 compellebat.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.

N 4 §. XC.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. XCI.

*Jaurinum a cæsareis obsessum.*

*Thu. 1. c.  
Struv. tom. 2*

Capta hac urbe Maximilianus Archidux die decima tertia Septembris cum suo exercitu Jaurinum contendit hancque urbem obsidione cinxit: cum vero Turcæ ad primum occursum urbes erumperent, cæsarei longius, incautiuraque abrepti, atque ad ipsa mœnia pertrantes a circumfusa Turcarum multitudine profligati sunt, imo ipsemet Vincetius Gonzaga Mantuæ Dux, qui Pontificiis copiis præerat, cum circa mœnia exiguo comitatu stipatus equitaret, abs dubio captus fuisset, nisi Colonitius tempestive advolans ipsum discrimini subduxisset. Interea obsessi intra urbem haud procul ab illa porta, quæ Albanam Græcam ducit, tam altum erigebant aggerem, ut continua tormentorum explosione haud leve obsidentibus damnum inferrent: haud tamen minor erat Cæsareorum industria in parandis ad obsidionem necessariis; omnium enim sedulitas eo intenta erat, ut fossæ, valles, aggeresque festinato opere excitarentur. Palfius, ut hostem forte ad obsessorum auxilium accurrentem profligaret, cum suis Budam versus excurrebat, obviosque ducentos Turcas ad interuicium delevit, cum opima præda

in castra reversus: inde vero ad majora tentanda animatus, aucto suorum numero in quodam campo inter Vicegradum, & Pesthum Janissaros Jaurino opem laturos adoritur, eosque ad primum impetum fugientes usque ad Tartarorum castra insequitur, ipsosque Tartaros securitatis fiducia sopitos cædit, castrisque exiit, necnon præter ingentem prædam plurimos Christianos a Turcis captos libertati restituit: insuper Bernesteinius arcem prope Sancti Martini cœnobium, quod sanctum Pannoniæ Montem appellant, oppugnare molitur, eo quod Turcæ, qui eo loco validum tenebant præsidium, assiduis excursionibus plurimos in captivitatem abduxissent, qui tamen suis viribus diffisi arce relicta in proximam sylvam aufugerunt. Interea per exploratores nuntiabatur, quod Mahometes Bassa cum toto exercitu Jaurinum versus contenderet, eapropter Maximilianus Archidux, cum resistendo impar esset, obsidionem solvit, variis impedimentis, ne hosti usui essent, incensis, quo comperito turcæ ex urbe erumpentes, ægros, aliosque, qui lentius incedebant, aggreduuntur, pluresque ex illis vel crudeliter trucidant, vel captos abstrahunt: inde vero Maximilianus trans Danubium Comorrhæm versus die vigesima

Sæcul.XVI.  
A.C.1597.

Spond. kōd  
ann. n. 18.

Sæcul. XVI  
A.C. 1597.

quarta Septembris recessit, Turcis interim ad Tatam, seu Theodatam castrametantibus, urbemque in opposita Danubii ripa Australi sitam cingentibus. Præerat huic urbi nuper recuperata Christophorus Veida, qui nullam strenui Belliducis partem prætermittens crebras hostium oppugnationes fortiter repressit: cum autem Turcæ cuniculis jamjam actis validius arcis propugnaculum evertissent, habito prius Belliducum consilio cum suis præsidiariis, qui numero trecenti erant, clam die secunda Octobris noctis beneficio egressus Danubium versus contendit, urbemque vacuum Turcis reliquit. Hoc tamen longe molestius Christianis accidit, quod interim Persarum Legati cum Turcis pacem firmassent.

§. XCII.

*Temesvaria irrito conatu a Sigismundo Bathorio obsessa.*

*Havæusianal. Brab.*  
p. 535.

Postea Maximilianus Archidux, qui in adversa Danubii parte subsistebat, promotis castris Watziam descendit, Turcis autem Pesthensi urbi appropinquantibus, arce deserta, flammisque absumpta, ad borealem Danubii oram Strigonio oppositam retrocessit. Sub idem tempus Sigismundus Bathorius Transylvaniae Princeps die duodecima

Se-

Septembris Turcarum fines delecto milite invadere aggrediebatur, ac vastato circumquaque agro ad Albam Græcam pontem Savo flumini impositum destrueri jussit, ipse vero Lippam profectus, ad motis mox castris ineunte mense Octobri suadente Carillo Jesuita, aliisque, ferrius tamen, Temesariam obsidere moliebatur: cum tamen jamjam aspera hyems ingrueret, fractaque sæpius nubila præcipiti ruina, ac improbis continuo imbribus tam copiose descenderent, ut totus exercitus in discrimen adduceretur, hinc Sigismundus expugnatis aliquot minoris momenti locis obsidionem solvere coactus est.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. XCIII.

*Continuata Ambianensis urbis obsidio.*

Interea Galli toto armorum apparatu Ambianensis urbis obsidionem urgebant, ac præprimis Bironius Franciæ Marefcallus obsidionales fossas propius ad mænia perducens, & die prima Augusti ad tectam urbis viam penetrans, exterio-  
terio-rem fossæ loricam expugnabat, desideratis suorum quadraginta, qui incenso ab obsessis cuniculo recidentis ruinæ mole oppressi periere: tum vero tanta cædis, victoriæque aviditate dimicatum, ut per viginti omnino dies Gallis in fossam

Daniel. hist.  
de France  
l'an. 1597.

p. 184.  
Thu. hist.  
l. 118.  
Gallut. l. 9.  
de bello Belg.

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1597.**

fam eluctari contendentibus, atque ob-  
 fessis vicissim toto nisu obsistentibus tan-  
 dem everso cuneo Bironius superior e-  
 vaderet: haud segnior tamen erat et  
 ipsa urbe in castra fulminantium tor-  
 mentorum impetus, quo fossiores combi-  
 nua strage prosternebantur: cum vero  
 Franciscus Spinæus Sanlucius rei tor-  
 mentariæ Præfectus octo grandioribus  
 tormentis mæniem partem humo aggre-  
 sta munitam acrius quateret, die vige-  
 sima quarta Augusti ruina facta quanto  
 cyus Galli una ex parte, ex altera vero  
 Angli impetum fecere, ac propugnaculo  
 lum, quod portam tuebatur, occupave-  
 runt, id tamen summo mane a Didaco  
 Durando recuperatum, vespere a  
 Gallis denuo captum est, illudque Ca-  
 meracensibus centuriis custodiendum  
 tradebatur: die autem vigesima octava  
 Augusti Bironius cuidam cuniculo ignem  
 subjici jussit, cujus impetu rudera  
 adeo prope ad urbis mænia cadebant,  
 ut Galli, si scalas paratas habuissent, vi-  
 cinam turrim facili negotio occupare po-  
 tuissent, quæ tamen quarto post die in  
 eorum potestatem venit: cum ergo  
 Protocarerus res ad extremam necessi-  
 tatem redactas cerneret, datis literis  
 Albertum stimulabat, ut præsidiariis  
 qua ferro, qua lue ad duo millia immi-  
 nutis tam suspiratum, tamque necessa-  
 rium

rium subsidium, qua Corbeja in urbem  
itur, promptissime submittat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. XCIV.

*Protocarerus sclopeti icū trajedus.*

Sub idem tempus Henrico Regi nuntia-  
tur, quod Albertus Archidux cum  
copiis suis accurreret, ac Joannes Con-  
trera Hispani exercitus Curator, quem  
Commissarium appellant, Duaco cum  
suis Equitibus appropinquaret, ut vias,  
Gallorumque castra explorare posset.  
Ergo Rex, obsidionis cura Maduano Du-  
ci relicta, hisce copiis obviam ire sta-  
tuit, ac vigesima nona Augusti cum sex-  
centis Equitibus Durlentium versus con-  
tendit, dato negotio, ut Alvernix Co-  
mes ipsum postridie cum octingentis aliis  
Equitibus sequeretur: cum vero Rex  
die trigesima prima Augusti quemdam  
collem cum centum Equitibus ascende-  
ret, hostem ex vicino nemore prodeun-  
tem, atque adeo vicinum conspexit, ut  
rem ad prælii necessitatem redactam  
cerneret: verum Hispani totum Regis  
exercitum superventurum rati in fugam  
sefe præcipientes dederunt, ægre incolu-  
mes Papalmam contendentes, nec ta-  
men propterea Francix Rex præpedire  
poterat, quo minus Joannes Jacobus  
Belgiosus, & Emanuel Verga penitius  
Gallorum castra explorarent, illorumque  
fitum

*Th. & Da-  
niel l. c.*

Sæcul. XVI. fitum exacte ad Albertum referrent.  
A.C. 1597. Itaque Rex jejuna hac victoria parum  
 contentus ad castra revertebatur, ac  
 præfidiarios ante Archiducis adventum  
 saltem ad deditiōem compellere inten-  
 tus, die quarta Septembris impetum in  
 propugnacula fieri præcepit, incasso li-  
 cet conatu; quippe Galli ab obsessis non  
 sine gravi suorum dispendio retrocedere  
 cogebantur: majus tamen inde Hispani-  
 nis rebus detrimentum accidit, cum  
 Protocarerus eadem die per pontem in  
 urbem transiens ictu sclopeti per latus  
 sinistrum transfixus occumberet, cujus  
 mors Hispanis, ac præcipue obsessis fu-  
 nestissima accidit; erat enim Bellidux  
 ingenio sagax, atque in exiguo corpore  
 fervidos fortitudinis spiritus fovens, qui  
 potius extrema perpeti, quam gloriam  
 ex urbe nuper capta partam amittere pa-  
 ratus erat. Huic defuncto Hieronymus  
 Caraffa Montis-nigri Marchio omnium  
 consensu suffectus erat: porro biduo  
 post, seu die octava Septembris gravem  
 Protocareri jacturam mors in Gallorum  
 castris æquabat, Franciscus enim Spina  
 Sanlucius virtute, & bellica prudentia  
 insignis, cum obsidionales urgeret labo-  
 res, in fossa incautius discurrens impro-  
 viso sclopeti ictu trucidabatur, in cujus  
 locum Henricus Rosnium Baronem præ-  
 fici desiderabat, præpediebatur tamen

a Ga-

a Gabriela Estrea Moncellensi Marchionissa, quæ Regis animo ad suum arbitrium inclinato Estresium patrem suum subrogari postulabat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. XCV.

*Albertus Archidux obsessis suppetias ferre molitur.*

Interea Archidux iteratis Protocareri sollicitationibus stimulatus, Ambianensibus præfidiariis suppetias venire decernebat: obstabant equidem Belliducum nonnulli, qui posthabita Ambianensi expeditione potius Bergam accurrere suadebant, ut Mauritius in fœderatis Belgii Provinciis Rector, qui cum exercitu suo illuc contendebat, tam opportunum Rheni aditum occupare præpediretur: attamen Albertus gloriæ, quam sibi Ambianensis urbis expugnatione pepererat, conservandæ studiosissimus relictis Germanorum copiis, quæ Mauriti conatibus obsisterent, ineunte septembri Duacum, inde vero Atrebatum progressus est, atque Avennam Comitatus perveniens in eodem oppido exercitum lustrabat, in quo viginti peditum, & quatuor Equitum millia recensebat; intererat etiam huic agmini præter Aumalium Ducem Petrus Comes Mansfeldius, qui plurimum expeditionum Dux jam-

*Thu. & Danieli. l. c.  
Livre du Roi  
à Plessis de  
Moumoi du  
17. Sept.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

~~SECRETUM~~

jamjam octogenarius lectica vectus super  
premi castrorum Præfecti munere fun-  
gebatur: tum vero de futuræ expedi-  
tionis ratione bellicus habebatur Sena-  
tus, deliberatumque, an tentata Pero-  
nensis, vel San-Quintini oppidi obli-  
dione Regis copias ab Ambianensi urbe  
avertere oporteret, vel Gallos in suis  
castris recta aggredi magis expediret.  
Præplacuit posterius consilium, quocir-  
ca die duodecima Septembris Albertus  
promotis castris Dorlanum profectus,  
decima quarta ejusdem mensis in Pertu-  
curtino cœnobio cum omni exercitu per-  
noctabat, atque Altilia flumine trans-  
misso obsessis adventum suum sæpius  
displosis belli tormentis significabat: al-  
tera autem die Piquinium prætervectus  
Ambianum versus contendit. Interea  
Montinius, qui cum suis velitibus vias  
exploraverat, Regem de proximo hostis  
adventu certiore redderebat: verum hic  
dictis fidem non adhibens, ipse cum  
Equitum agmine longius progrediebatur,  
ubi ab Hispanis invasus cæso Tur-  
nario Diepensi Belliduce ad castra re-  
verti coactus est. Albertus flexo ad læ-  
vam itinere Longum-pratum recta pe-  
tebat, quo adventante pedites, qui  
hoc oppidum tuebantur, nec non lixæ,  
& Calones tanto terrore afficiebantur,  
ut præcipiti fuga munimento relicto ad  
castra

castra convolarent: hinc si Hispani mox Longum-pratum vel invasissent, aut continuata adhuc trepidatione hostem aggressi fuissent, reportata abs dubio victoria etiam urbem obsidione liberassent: attamen Albertus Mansfeldii consilium perperam secutus retrocessit, ac in loco, ubi a tormentis hostilibus cuidam colli impositis tectus esset, castra metabatur; interea vero Galli Longum-pratum assiduo totius noctis opere firmiter muniabant, quo conspecto, agnitoque errore Albertus Carolum Longe-Vallium Bucquoium Comitem cum mille Vasconibus præmisit, ut pontem ex navibus constructum fluvio imponeret, eo fine, ut expugnato Longum-prato illa ex parte suis copiis liber regressus panderetur. Id etiam Bucquoius mira celeritate exequitur, Gallis inde feliciter repulsis: strato igitur ponte Fabritius Sammanus cum trecentis peditibus, & magna annonæ copia flumen trajicit, mox vero Galli in eos tanto irruunt impetu, ut una omnes interficerent, ac furore in Bucquoium verso ipsum relicto ponte aufugere compellerent.

## §. XCV.

*Ambianum pacis conditionibus deditum.*

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

O

In-

Sæcul. XVI.

A. C. 1597.

Sæcul. XVI  
A.C. 1597.

Gallut. de  
bello Belgico  
l. 9.

Infaustus hujus expeditionis successus Henrico Regi victoriam asseruit; cum enim Longum-pratum ob potentissimi exercitus propinquitatem, tormentorum copiam, ac munitionum robur absque maximo militum, imo & gloriæ dispendio expugnari haud posset, aliunde autem annonam advehendi opportunitas assiduis hostium percursitationibus intercepta esset, Albertus Archidux ex Mansfeldii, Mendozæ, Vegæ, Spinolæ, aliorumque Belliducum consilio regressus statuit: igitur die decima septima septembris orto mane omnes suas copias perinde, ac si ad pugnam procederet, in aciem instruxit, atque ordinibus nunquam interruptis, nullaque mora injecta ceptum iter profecutus, sub noctem ad Berticurtium monasterium pervenit, eum quidem Henricus Rex cum valido suorum agmine insequabatur; cum autem Hispanos ad omnes eventus jam paratos tam lento pede, tamque imperterrita mente incedere cerneret, ut potius necessitatis vi cedere, quam ab hoste fugere viderentur, illos adeo non aggredi ausus est, ut etiam hosti concedendum esse ratus virtutis, & gloriæ testimonium, palam ediceret, quod nunquam gentium milites essent, qui tam scite se gessissent, sique is ejusmodi peditatum in suo exercitu haberet, universum orbem bello la-  
cescere

*cescere non vereretur.* Gallis itaque re infecta recedentibus Albertus proximis castris Dorlanum, inde vero Atrebatum nullo suorum dispendio sese recepit: Rex vero in castra reversus tubicinem Ambianum misit, qui Montenigrio Marchioni nuntiaret, quod si statim urbem dedere vellet, amplissimas conditiones sibi polliceri posset: igitur rogato Belliducum consilio Marchio per tubicinem prius a Rege petiit, obtinuitque, ut Archiducem de præsenti urbis statu edocere, ejusque mandata percipere posset. Missi ergo sunt Fridericus Pacioltus, & Andreas Ortisius, per quos Albertus obsessis significabat, quod jamjam in tuenda urbe tam luculentum virtutis, ac fidei suæ specimen edidissent, ut Hispaniæ Regi plene satisfactum esset: nil ergo reliquum foret, nisi ut de honorificis conditionibus solliciti urbem Gallis traderent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. XCVI.

*Deditionis pacta.*

Franciæ Rex, cum cæptæ obsidionis *Daniel. l. c.*  
 successum tum aeris intemperie, *Galluc. l. c.*  
 quam pertinaci obsessorum fortitudine præpediri vereretur, hoc Archiducis responsum ingenti animi lætitia excepit, nilque hæsitans in sequentes consensit conditiones I. Gubernator militaribus

O 2

hono-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

honorum signis, imperatorium baculum manu gerens, explicatis vexillis, tympanis, tubisque fonantibus, cum omnibus præfidiariis armatis impune urbe excedere permittatur. II. Protocæleri monumentum in Ambianensis Ecclesiæ choro erectum, nec non aliorum in obsidione occisorum tumuli nec amoveantur, nec inscriptiones deleantur, dummodo nihil Gallicæ nationi injuriosum præferant. III. Ægroti, vel faucii in curribus a Rege subministrandis Dorlanum usque unacum omni suppellectili transvehantur: si vero quipiam in urbe perflistere cogentur, benigne habeantur. IV. Captivi utrinque sine redemptionis pretio dimittantur. V. Præfidiarii nec medicamenta, nec sclopetorum globos a civibus acceptos solvere teneantur. VI. Cives jurejurando Regi suo addicti, novis haud premantur oneribus, & si qui eorum cum militibus emigrare velint, libere dimittantur. VII. Utrunque per sex dies ab armis cessetur, intra quod tempus nisi bis mille auxiliares in urbem introducantur, ea Regi dedatur. VIII. Interea præfidiarii tres militum Præfectos, Hispanum, Italum, & Vallo-nem obsides relinquunt, nihilque novi operis aut in aggere, aut in urbe moliantur. IX. Tres ex Præfidiariis cum decem equitum comitatu mittere liceat, qui

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

qui harum conditionum exemplar ad Albertum Archiducem perferant: cum ergo hic idem cuncta hæc pacta rata haberet, die vigesima sexta Septembris Montenigrius cum omnibus præfidiariis non tam victus, quam victor urbe exire videbatur; quia ipsemet Henricus Rex, ut summam hujus Belliducis fortitudinem promerito decoraret honore, eidem ad Bellovacensem portam obviam miserat Connestabilem, Bironium Marefcalum, & Herculem Roanum Monbazonii Ducem, qui Governatorem ad Regem deducebant, comitantibus eum Contio Principe, Montpenferio Duce, Jonvilla, & Maduano, ac Nemorsienfi Ducibus: cum autem Montenigrius in Regis conspectum veniret, post amicas utrinque salutationes equo descendens hæc effatus est: *Reddo urbem in manum Regis Bellatoris, quia Regi meo non placuit auxiliares mittere Præfectos bellatores*: porro his verbis significare voluit, quod tunc, si copiæ auxiliares nuper oblatam pugnandi opportunitatem arripuissent, Galli nunquam urbe potiti fuissent. Ad hæc verba Rex respondit: satis tibi sit, quod *urbem tanquam Bellator propugnaveris, eamque nunc legitimo Regi restituas cum honore Bellatoris digno*. Postea Rex circa quartam diei horam urbem cum quatuor Equitum millibus ingressus in Ca-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1597.

thedrali Ecclesia Hymnum Ambrosianum decantari, urbisque mœnia refici jussit, ac Dominicum Vicum Ambiani Gubernatorem nominans ad castra rediit, quorum universa pene tentoria postridie exorto repente incendio conflagrarunt: interea vero Albertus Montem-Hullinum unicum in agro Caletensi oppidum adhuc Gallorum potestati subiectum tertia obsidionis die occupabat.

§. XCVII.

*De pace inter utrumque Regem sancienda magis serio actum.*

*Lettr. du Roi au Baron de Rosni 9. Oct. 1597. Thu. l. c. Spond. ad hunc an. n. 7.* **H**ac ipsa Ambianensis urbis deditio magis expedita reddebatur pacis conciliatio inter Hispaniæ, & Franciæ Reges inchoata; interea enim Bonaventura a Calatagirona Generalis Franciscanorum Minister, qui a Cardinali Legato ultro, citroque commineare jussus Pontificis nomine in hoc negotio suas partes interponebat, ex Hispania reversus Romam contenderat, ac Clementi VIII. exactam Legationis suæ rationem reddens significaverat, quod Philippus Hispaniæ Rex pacem inter utrumque regnum stabiliendi facultatem dedisset, atque ipsemet Albertus hoc negotium promovere jussus esset, nec non is quantocyus Philippi nomine Richardo-

tum

tum Præsidem ad Picardiæ, & Arthesiæ  
 fines ablegasset, ad quem etiam locum  
 Villa-Regius ab Henrico missus advenif-  
 set, atque inter ambos decretum, ut  
 primo quoque tempore utriusque partis  
 Delegati Vervinum in Veromanduis  
 Gallicæ ditionis oppidum venirent,  
 ac ibidem de pacis conditionibus serio  
 agerent. Interim Franciæ Rex quos-  
 dam ad Elisabetham Angliæ Reginam  
 ablegabat, qui eidem nuntiarent, quod  
 præsens rerum suarum vicissitudo omni-  
 no deposceret, ut pacem cum Hispaniæ  
 Rege iniret, proin & ipsa ad conditum  
 locum suos decerneret Oratores, quibus-  
 cum de articulis utrinque stabiliendis  
 conferri posset. Ceterum hoc pacis ne-  
 gotium nonnisi anno sequenti penitus ab-  
 solutum fuit.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.

§. XCVIII.

*Hugonottarum consilia post receptam urbem.*

Quamvis agitata pacis consilia, nec  
 non recuperatæ Ambianensis urbis  
 felicitas haud levi terrore Hugonottas  
 afficerent, propterea tamen nequaquam  
 magis dociles, minusque protervos sese  
 exhibebant, quinimo cuncta eorum mo-  
 limina aperte eo spectare videbantur, ut  
 armis quantocyus sumptis Regem suum,  
 ac legitimum Principem invaderent:

*Daniel hist.  
 de France  
 p. 205.  
 Cayet. vol. 3.*

O 4 ali-



Sæcul. XVI. aliquamdiu tamen paratam eorum rabiem retardabant diffidia inter illos tum exorta; disceptabatur enim inter illos penes quos pecuniarum, quas in proximo belli usum ex regis ærariis auferre, ejusque subditis extorquere decreverant, administratio esset; quippe Bullionius, & Tremollius præcipua hujus factionis capita id juris sibi competere contendebant: econtrario autem Ministri pertinaciter petebant, ut proventus toti factioni communes nonnisi ab illis, qui a communi suffragio in conventibus ad id designabuntur, administrarentur. Hac altercatione interim fervente Hugonotæ, cum Regem de hostibus suis victorem passim ab omnibus Catholicis ingenti affectu coli cernerent, tandem rebus suis magis caute prospicere cœperant, præcipue cum ex illis nonnulli relicta ceterorum factione secundo blandientis fortunæ vento usi quam submissionem Regi testarentur, atque arcana molimina in ipsorum conventiculis procusa eisdem manifestarent: unde ipsemet Rex fabam, quæ in eum ab hisce rebellibus hæreticis cuderetur, plene edoctus, depulso jam omni metu liberius eisdem declarabat, quod eorum conventicula omnino solvi præciperet, ac proximo vere seditiosæ factionis reliquias in Britannia ferro, flammaque penitus excindere

dere vellet: cum autem hæc Provincia Pictaviensi admodum vicina esset, ideo Hugonottæ hujus tempestatis vim præcipue ipsorum capitibus imminere, haud temere veriti moderatius agere cœperant, spe freti, quod Rex ante discessum suum eorum postulatis plene satisfactorius esset; nec vana erat illorum fiducia; Rex enim subjugandæ Britannæ desiderio inflammatus, concordiam cum hisce seditiosis inire tam ardentè exoptabat, ut res brevi utrinque ad felicem exitum deduceretur, hinc præprimis induciæ cum Mercuriano Duce in eunte hoc anno Andegavi pactæ, variisque artibus hucusque elusæ rursus a Schombergio, & Rupifortio innovabantur, ac die decima septima Octobris ibidem promulgatæ, ad diem primam Januarii sequentis anni fuerunt prorogatæ.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. XCIX.

*Novum Parisiensis Senatus edictum  
contra Patres Societatis.*

Cum Burdigalensis, ac Tolosanus Senatus Parisiense edictum die vigesima nona Decembris anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto contra Jesuitas editum non acceptassent, hi in publicis Gymnasiis juventutem literis imbuere pergebant; inde vero factum,

*Thu. l. 118.  
p. 808.  
Hercul. Selva  
Hist. de  
Guipuscoa  
tom. 2. l. 6.*

**Sæcul. XVI.** Etum, ut non pauci filios suos, quod ta-  
**A.C. 1597.** men prohibitum erat, ad illorum scho-  
 las mitterent, pluresque relicto Socie-  
 tatis instituto ad illas urbes, ex quibus  
 expulsi erant, denuo reversi ibidem per-  
 sisterent, sub obtentu, quod pro Jesuitis  
 haud amplius haberi possent: verum  
 Parisiensis Senatus ab his Patribus hac  
 agendi ratione legem latam violari  
 contendens sæpius Regem sollicitabat,  
 ut illius edictum ab omnibus Regni  
 Curiis observari præciperet, idque sæ-  
 pius in secreto Regis consilio decretum  
 nunquam tamen executioni datum, ob-  
 nitentibus quibusdam, qui apud Regem  
 benevolentia valebant: tandem vero  
 Senatores suæ auctoritati injuriam in-  
 ferri querentes tantum effecere, ut die  
 vigesima prima Augusti hoc anno præci-  
 peretur, quatenus edictum ante trien-  
 nium die vigesima nona Decembris edi-  
 tum omnino effectui daretur, omnibus-  
 que civitatibus, Collegiis, Universitati-  
 bus, Ministris, ac omnibus, & singulis  
 cujuscunque conditionis, ac status in-  
 terdictum esset, ne quempiam illorum,  
 qui sese Jesuitas dicunt, etsi instituti, &  
 voti Jesuitici ejurationem prætexerent,  
 ad conciones habendas, vel ullum sacer-  
 dotale ministerium, aut puerorum in-  
 literis institutionem admittant, seu ad-  
 mitti patiantur, indicta transgressoribus

læ

læfæ Majestatis pœna. Nihilominus  
 infuperhabito hoc edicto Mercatorum  
 Præfectus, nec non Lugdunensis urbis  
 Ædiles Porfanum olim Jesuitam Colle-  
 gii sui Rectorem nominabant, cauffati,  
 quod hic nec in priori, nec in novissimo  
 Senatus-consulto comprehenderetur, eo-  
 quod Porfanus, etfi olim Jesuitarum So-  
 cietati aggregatus fuisset, nunquam ta-  
 men ad hoc institutum voto sese obstrin-  
 xisset, sed ante Parisiense expulsionis  
 decretum ab hoc ordine defecisset, il-  
 losque adeo non coleret, ut potius eos  
 infectaretur, mutuo ab eis odio habitus:  
 attamen Simon Morionus Regis Advoca-  
 tus de oblata Jesuitas vexandi occa-  
 sione lætus a Parisiensi Senatu petiit, ut  
 non modo Porfanus, sed & Præfectus,  
 atque Ædiles comparere, ac sese judi-  
 cio sistere juberentur. Ergo præfixa die  
 eorum Procuratores comparent, ob al-  
 legatas rationes nequaquam edictum  
 fuisse violatum contendentes: prævaluit  
 tamen Morianus, qui vehementi oratio-  
 ne in Jesuitas invectus hæc exponebat:  
 „Jam ante triginta tres annos, dum A-  
 „cademia Parisiensis Jesuitarum Sodali-  
 „tati litem intenderat, Triumviri publi-  
 „ce testati sunt, per hujus Societatis vi-  
 „ros discordiæ facem in media Francia  
 „aliquando accensam, & Hispanis ad  
 „Regnum invadendum portas apertum  
 „iri:

Sæcul. XVI,  
 A. C. 1597.

Sæcul. XVI.

A.C. 1597.

„iri: ad tempus tamen eorum schola  
 „fuit tolerata, donec ob detestandum  
 „Joannis Castelli, qui in illorum Sodalitio  
 „adoleverat, parricidium relegati  
 „fuerant, utpote fidem populorum sollicitasse,  
 „juventutis mores corrupisse,  
 „atque ad Regis defuncti cædem, nec  
 „non ad parricidium Regi ante tres annos  
 „nos intentatum consilio concurrisse convicti:  
 „levioribus quidem ex causis universi Ordines,  
 „uti Equites Templarii & Humiliati, alique  
 „omnino extincti fuere, quod tamen hucusque  
 „Jesuitarum non accidit. Porro tria in eorum  
 „Sodalitio vota nuncupari solent, quorum  
 „cum duo jam emiserit Porfanus, diuturnoque  
 „confortio mores, & doctrinam eorum plene  
 „imbiberit, haud immerito metuendum, ne  
 „eadem doctrina alios imbuat: de cetero autem  
 „popularis vulgi error est, Societatis Patrum  
 „ad puerorum in literis institutionem prodesse:  
 „verum illi humaniores literas, omnemque  
 „politioem antiquitatem, tam græcam, quam  
 „latinam aut ignorant, aut perverse tradunt,  
 „mutatis, depravatis, aut interpolatis veterum  
 „scriptis, nec melius in scientiarum traditione  
 „procedunt, dum suarum quæstionum argutias  
 „pro Aristotelica veritate, quam aut ignorant,  
 „aut nunquam distincte interpretantur,  
 „audi-

Sæcul.XVI.  
A.C.1597.

„auditoribus suis ingerunt, in id unice  
 „intenti, ut multiplicatis per omnes  
 „regni urbes scholis suis omnem pue-  
 „rorum institutionem ad se solos attra-  
 „hant, & antiquas Regni Academies  
 „ad solitudinem redigant, obscuramque  
 „barbariem, & corruptam scholastici  
 „fermenti massam inducant: proin pe-  
 „to, ut insuperhabitis Lugdunensium  
 „rationibus Senatus-consultum proximo  
 „mense Augusto factum, etiam in Lug-  
 „dunensi Schola locum habeat, & Por-  
 „sano tanquam contumax in Palatii  
 „carceribus detineatur, donec ad accu-  
 „sationum capita responderit., Quam-  
 „vis forte huic Advocato, si liberius dicta  
 solide comprobare compulsus fuisset,  
 lingua, & aqua hæssisset, fervente tamen  
 tunc in Jesuitas invidia Parisiensis Sena-  
 tus Societatis Scholares, & Coadjuto-  
 res æque, ac Professos pari vinculo So-  
 cietati adstrictos esse ratus die decima  
 sexta Octobris hoc anno præcepit,  
 ut idoneus Moderator, atque Magistri  
 minime suspecti Lugdunensi Scholæ præ-  
 ficerentur, nec non Porsano ad carceres  
 detruso deinceps ubique edictum die  
 vigesima prima Augusti editum exacte in  
 usum deduceretur. Sub idem tempus  
 ad Turonensem urbem, ac Toparchiam  
 die prima Octobris anno salutis nostræ  
 millesimo quingentesimo nonagesimo se-  
 ptimo

**Sæcul XVI.**  
**A.C. 1597.**

ptimo aliud mittebatur decretum, cuius Turnonius Alvernix Prætor Jefuitas urbe expellere jubebatur: verum hic potius sua Præfectura, omnibusque bonis exui, quam huic edicto parere maluit.

§. C.

*Diversæ Clementis VIII. Constitutiones.*

*Bull. tom. 3.*  
*Const. 48.*  
*pag. 72.*

**I**nterea Clemens VIII. Summus Pontifex inter gravissimas christianæ Reipublicæ curas ad minima etiam paternam suam sollicitudinem extendebat: exortoque circa Cardinalium Diaconorum prærogativam dissidio decima Augusti hoc anno in secreto Patrum Senatus declarabat, quod Cardinales tum existentes, si per integrum decennium in Ordine Diaconatus a die promotionis perseveraverint, dein ad Cardinalium Presbyterorum gradum promoti omnes illos Cardinales præcedant, qui post illos purpura decorati sunt: deinceps vero ejusdem Ordinis Cardinales pari prærogativa fruantur, ita tamen, ut decennii tempus non a die, quo sacrum Collegium ingressi sunt, sed a die, quo ad Ordinem Presbyteratus promoveri potuerunt, computetur. Edidit quoque idem Pontifex die decima tertia Septembris aliam Constitutionem circa politicum

cum ditionis suæ regimen, vi cuius leges a Clemente VII. Gregorio XIII. Pio IV. & V. Prædecessoribus suis latas confirmans e ditione ecclesiastica omnis generis frumenta, vel animalia exportari, aut sal exterum intra eandem ditionem distrahi indictis gravibus pœnis prohibuit. Tertio diplomate die decima Octobris edito Clemens pro Novitiis Ordinis Sancti Basilii tres domos assignatis proventibus in Italia instituit. Denique die vigesima Decembris quarta constitutione omnia privilegia, & gratias, quæ a prioribus Romanis Pontificibus non modo Fratibus Minoribus de observantia, & Sanctæ Claræ Monialibus, sed etiam tertio de pœnitentia Ordini Sancti Francisci concessa fuere, innovabat, rataque habebat, dummodo tertii Ordinis Religiosi utriusque sexus communi vitæ consortio sub tribus solemnibus votis vivant, atque aliunde hæc privilegia nec Concilio Tridentino, nec Fratrum Reformatorum decretis adversentur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. CI.

*Marci Antonii Columnæ Cardinalis obitus.*

Ex Cardinalibus, quos mortis invidia hoc anno vivorum consortio eripuit, nonnisi duo reperiuntur, quos inter pri-  
 Ciacon. to. 3. p. 946.  
 Ughell. Ital. Sacra. Aube-  
 ry vie des



Sæcul. XVI.

A.C. 1597.

*Cardin. Sac-  
chin Hist.  
Soc.*

mus erat Marcus Antonius Columna patria Romanus, in quo generis nobilitas, raræque corporis dotes cum singulari morum integritate, virtutum studio insigni eruditione, summaque in rebus gerendis dexteritate semper pia quadam æmulatione certare videbantur: his vero meritis jam in juventute clarus a Pio IV. Tarentinus Archipræsul electus, ibidem Seminaria erexit, Synodum celebravit, demum ad Tridentinam Synodum decretus, singularis doctrinæ, Religionis, ac prudentiæ specimen ediderat: inde vero reversus in meriti præmium ab eodem Papa Cardinalis Presbyter titulo Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum nominabatur: die autem decima tertia Octobris anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo a Pio V. ad Salernitanum Archiepiscopatum translatus, Seminarium a suo Prædecessore inchoatum perfecit, celebratoque provinciali Concilio sub annum Domini millesimum quingentesimum septuagesimum quartum Archiepiscopatum suum dimisit: porro postea sub Gregorio XIII. Presbyter Cardinalis nominatus relicto priori titulo illum Sancti Petri ad vincula, & demum Sancti Laurentii in Lucina adoptabat, regnante vero Sixto V. Prænestinus Episcopus Piceni, & Campaniæ Legationem tam sub Gre-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1507.

Gregorio XIII, quam ejus Successore Sixto V., cui percharus erat, cum summa justitiæ, & mansuetudinis laude obiit: insuper præficebatur librorum prohibitorum Indici, necnon Vaticanæ Bibliothecæ, pariterque tanquam Belgarum Provinciarum Protector virtutes, & merita Divi Didaci discutere jussus, relationem de vita, & miraculis ejusdem Sancti edidit. Præterea in Comitibus Apostolicis Gregorii XIV. Urbani VII. Innocentii IX. & Clementis VIII. tantam prudentiam, gravitatem, integritatemque exhibebat, ut nil propius esse videretur, quam ut plurium Patrum consensu ad supremam Ecclesiæ dignitatem eveheretur. Obiit tandem meritis plenus Zagarolæ in Diæcesi Prænestina feria tertia die decima tertia Maji, sepultusque fuit in monasterio Sanctæ Mariæ Ordinis Sancti Francisci. Ceterum præclarus hic Præsul tot summæ pietatis, & liberalitatis monumenta reliquit, ut merito in hanc usque diem pene regia illius erga omnes pios, doctos, & pauperes liberalitas, & nunquam exhausta benignitas ab omnibus deprædicetur. Scripsit etiam sacras orationes, pluresque epistolas ad diversos.

Sæcul. XVI.

§. CII.

A.C. 1597.

Gabrielis Palæotti Cardinalis extremaCiacon. l. c.  
p. 979.

**A**lter erat Gabriel Palæottus Bononiæ anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo die quarta Octobris ex nobili genere natus, qui mortuo Patre suo sub Matris cura literis, pietateque imbutus, præter eloquentiam, Juris prudentia tantopere floruit, ut vix vigesimum quartum ætatis suæ annum affecutus per integrum decennium hanc disciplinam summo omnium applausu traderet, atque inter auditores Aldebrandium postea Pontificem Clementem VIII. dictum numeraret: demum in Bononiensi Ecclesia variis beneficiis, non Vasionensi legatione decoratus, ad Majoricensem Episcopatum nominabatur, quem tamen dum ejus humilitas acceptare renuit, illius merita ad ampliora munia eidem aditum parabant, quippe a Paulo IV. Papa sacrae Rotæ Auditor ad Tridentinum Concilium missus, gravissima ibidem negotia expediebat, ab omnibus ob raram pietatem, doctrinam, & singularem ecclesiasticæ administrationis usum plurimi habitus: inde vero reversus anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto die duodecima Martii a Pio IV. Cardinalis Presbyter titulo sanctorum Nerei, & Achil-

lei, & postea sanctorum Joannis, & Pauli renuntiatus, anno sequenti in patria sua Episcopus a Pio V. nominabatur; quapropter Roma mox relicta ad suam Diocesim profectus ibidem Synodum celebravit, saluberrima condidit statuta, scholasque novas pro imbuenda juventute, nec non Clericorum Seminarium Bononiæ erexit, plurimæque alia ad reformandos populi sui mores salutaria instituit, gregisque sui forma factus, totam suam Diocesim verbo, & exemplo ad pristinum veteris disciplinæ splendorem revocavit: præprimis vero pia in pauperes liberalitate adeo conspicuus erat, ut in exteros etiam pauperes, ægrotos, Religiosos, Moniales, & puellas periclitantes mitis tam profuse ad sublevandam eorum inopiam succurreret, ut a suo Oeconomo admonitus illum increparet, ac deinceps annonam miseris augeret: pariter Caupones serio admonebat, ut peregrinos, pauperesque Sacerdotes, qui forte ad illos diverterent, ad Episcopale Palatium transmitterent, quos ipse laute excipiens cauponibus lucri jacturam compensabat: porro sedente Gregorio XIII. ad titulum sancti Martini in Montibus, & sub Sixto V. ad illum sancti Laurentii in Lucina gradum faciens Congregationi rituum præpositus est, primusque Bononiensis Archiepiscopus

Sæcul. XVI.  
A. C. 1597.

**Sæcul. XVI.** pallio decorabatur, postquam Gregorius  
**A.C. 1597.** XIII. anno millesimo quingentesimo octo-  
 gesimo secundo hanc Ecclesiam in Me-  
 tropolitanam erexerat: regebat etiam  
 Palæottus per biennium Albanensem  
 Episcopatum, a quo, cum antea Syno-  
 dum ibi celebrasset, ad Sabinensem tran-  
 siit: insuper sæpius sancto Carolo Bor-  
 romæo Cardinali, cui acceptissimus erat,  
 sedulam in pastoralis curæ exercitiis  
 operam impendebat, ac Sixti V. tem-  
 pore Bononiæ Synodum habebat: motu  
 tuo autem hoc Pontifice in proximis  
 Patrum comitiis in Gregorio XIV. ut  
 vocant, conclavi ad Pontificiam digni-  
 tatem eidem nonnisi unicum deerat suf-  
 fragium, quam tamen a Papatu repu-  
 sam tanta animi tranquillitate ferebat,  
 ut suum quoque suffragium illis ipsis,  
 qui ei adversabantur, conferre non du-  
 bitaret. Tandem postquam sub variis  
 Pontificibus præclara Ecclesiæ præsti-  
 terat obsequia, Romæ hoc anno die vi-  
 gesima quarta Julii calculi doloribus  
 consumptus anno ætatis suæ septuage-  
 simo quinto placidissime animam Deo  
 reddidit, cujus corpus primo Romæ in  
 Nationis Bononiensis templo ad san-  
 ctum Joannem Evangelistam depositum,  
 atque inde Bononiam translatum in sua  
 Ecclesia Cathedrali sepultum est, ubi  
 Carolus Caprara Bononiensis in ejus  
 ex-

*Filluccius in  
 elog. Card.  
 Thuan hist.  
 lib. 100. ad  
 ann. 1590.  
 p. 393 & l.  
 119. p. 817.*

Sæcul. XVI  
A.C. 1597.

exequiis eleganti oratione funebri parentabat. Hic idem Cardinalis Ecclesiam suam testamento hæredem ex ascriptiserat, locupletissimam vero suam Bibliothecam ad publicum Canonico- rum, & Cleri usum destinabat, plurimasque sacras ædes restaurans, atque exornans, etiam alia pia loca auxit, dotavitque. Scripsit hic Cardinalis I. Archiepiscopale Bononiense, præter Catalogum Episcoporum Bononiensium. II. Diatribam de nothis, & spuriiis ab eruditissimis maxime commendatam. III. Libros duos de sacris, & profanis imaginibus. IV. Unum de Consistorialibus Consultationibus librum, quem duobus ante obitum annis sacro Collegio nuncupaverat. V. Opusculum de bono senectutis. VI. Historiam de Christi stigmatibus in sacra sindone expressis, quod opus anno millesimo sexcentesimo septimo Duaci prodiit. Præter hæc opera eidem Cardinali plura alia adscribuntur partim typis edita, partim adhuc in scriptis codicibus asservata.

§. CIII.

*Alphonsi Ferrariæ Ducis decessus.*

Hoc item anno die vigesima septima *Thu. l. 119.*  
 Octobris Alphonsus hujus nominis *p. 817.*  
 secundus Ferrariæ Dux ex Hercule III. *Spond. ad*  
 & Renata Ludovici XII. Filia genitus, *ann. 1597. m*

P 3

annos

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1597.**

annosque natus sexaginta quatuor e-  
 vis excessit. Erat is præclaris virtuti-  
 bus, pace, belloque insignis, iteratisque  
 vicibus sub Galliarum Regum vexillis ad  
 bellicas expeditiones procefferat, tanta  
 nominis sui fama, ut anno millesimo  
 quingentesimo nonagesimo tertio Guili-  
 Duces, necnon Dux Meduanus Alphon-  
 sum ad Franciæ solium evehere medita-  
 rentur: verum sapiens hic rerum æsti-  
 mator repulsam dabat, facile prospici-  
 ens, quod etsi a quibusdam eligeretur,  
 aliorum tamen Competitorum,  
 hostiumque viribus obsistendo impar  
 esset: magis autem honorifice ope-  
 ram suam dicabat Maximiliano II. Cæ-  
 sari, in cuius opem anno millesimo  
 quingentesimo sexagesimo sexto qua-  
 dringentos Equites, omnes nobilitate  
 claros, & trecentos Sclopetarios contra  
 Turcas in Hungariam suis sumptibus  
 transmittebat, atque anno millesimo  
 quingentesimo septuagesimo primo fe-  
 dere cum ceteris Principibus christia-  
 nis inito adversus hosce Barbaros cun-  
 ctas suas opes, vitamque offerebat:  
 cum autem anno millesimo quingente-  
 simo nonagesimo sexto transylvaniam a  
 Sultano invadi nuntiaretur, Cæsar su-  
 premæ belli Turcici administrationi Al-  
 phonsum præficere decreverat, ea tamen  
 lege, ut octo Italorum millia suo ære  
 alen-

alenda in Hungariam adduceret. An-  
 nuit Dux, addito tamen hoc pacto, ut  
 Cæsar sua auctoritate efficeret, quate-  
 nus post ipsius obitum Ferrariensis Du-  
 catus Cæsari Estensi agnato suo, ejusque  
 posteris beneficiario nomine ab Ecclesia  
 Romana concederetur. Hanc in rem  
 ipsemet Alphonsus anno salutis nostræ  
 millesimo quingentesimo nonagesimo  
 primo Romam ad Gregorium XIV. con-  
 tendit, a quo quidem perhonorifice ex-  
 ceptus, hanc tamen translationem ob-  
 tinere non poterat, reclamantibus tre-  
 decim Cardinalibus, ac Pii V. diploma  
 de non alienandis Ecclesiæ bonis obsta-  
 re contendentibus: nihilominus Ponti-  
 fex Duci sponderat, quod hanc litem  
 in speciali Cardinalium Conventu ami-  
 ca transactione decisurus esset: paulo  
 post tamen eodem Pontifice fati functo  
 Dux re infecta Roma discessit, cum au-  
 tem se variis morbis consumptum jam-  
 jam ad vitæ suæ exitum appropinquare  
 cerneret, nullamque prolem relinque-  
 ret, præfatum Cæsarem Estensem Regii-  
 lepidi, Mutinæ, Carpii, aliarumque di-  
 tionum, ac bonorum præcipue Ferrarien-  
 sis Principatus hæredem testamento  
 scripsit: inde vero gravis Papam inter,  
 & Cæsarem contentio exorta, quæ ta-  
 men felicem brevi fortita est exitum.

Sæcul XVI.  
 A.C. 1597.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

§. XCIV.

*De Successionis jure gravis altercatio  
exorta.*

*Thuan. l. c.  
Offat. ep. 114*

**M**ortuo Alphonso Cæsar Estensis mo-  
ditiones sibi relictas occupabat:  
cum autem hic Patrem habuisset alium  
Alphonsum, qui ex vilis fæminæ Lauræ  
Eustochiæ, quam Alphonfus I. deperie-  
rat, contubernio natus esset, hinc sum-  
mus Pontifex Clemens VIII., ac Cardi-  
narium potissimi Estensem stirpem peni-  
tus extinctam, huncque nothum ad tam  
amplæ successionis jura inhabilem cen-  
sebant: pariter etiam Ferrariensis Cle-  
rus, clam tamen, Estensis inaugurationis  
obstitebat: nil tamen inde territus Cæ-  
sar sese tanquam Ferrariæ Ducem pro-  
clamari, atque inaugurationis solemnibus  
celebrare festinabat: dein etiam ex quo-  
rundam Ordinum consensu Legatos suos  
quaquaversum ad Christiani orbis Prin-  
cipes ablegabat, suis literis insignia, ac  
Ferrariensis Ducis titulum apponens:  
præcipue vero Ziliolum Comitem Ro-  
mam una cum literis decernebat, quas  
tamen Papa ob appositum Ducis nomen  
non acceptavit, nec Oratorem ad allo-  
quium admisit, summopere commotus,  
quod propria auctoritate ditionem Ro-  
manæ Ecclesiæ obnoxiam sibi vindicare  
præsumpsisset, quocirca coacto Purpu-  
rato-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

ratorum Senatu palam profitebatur Pontifex, quod hunc Principatum imperio ecclesiastico, ad quod jure devolutum esset, etiam cum dispendio vitæ, omniumque bonorum adjungere adstringatur, atque datis ad Principes literis declarasset, se libentius in Ferrariensis urbis fossa moriturum, quam illo Ecclesiam spoliaturum. Interea Franciæ Rex ad Arnaldum Ossatum literas dedit, quibus ab eo petiit, ut hoc in negotio tam suam, quam Italiæ Principum mentem explicaret, ac sincere ostenderet, utrum ad rerum Gallicarum incrementum magis expediret, si Ferrariensis Ducatus Cæsari adimeretur, an vel magis prodesset, si Romanæ Ecclesiæ, cui beneficiario jure tum obnoxius erat, uniretur. Ad hoc dubium Ossatus ea, qua pollebat, ingenuitate Henrico IV. hæc rescripsit:

„Si Regia sua Majestas a summo Pontifice de ferendis contra Cæsarem auxiliis sollicitabitur, illa eo promptius suppeditare festinet, quo luculentius hac agendi ratione testatum reddet, a se Romanæ Ecclesiæ id asseri, quod Reges illius Prædecessores olim Ecclesiæ concesserunt; notum enim est, quod Ferrara sit pars Ravennatis Exarchatus, quem Pipinus, illiusque Filius Carolus Magnus, atque nepos Ludovicus Pius Romanæ Ecclesiæ gratuito

P 5

„dono

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

„dono tribuerunt.“ Hæc Offati ratio tantum apud Henricum obtinuit, ut non modo ipse per Lucemburgium Legatum suum Romæ ipsi Clementi VIII., nec non Petro Urfino Aversano Antifiti, quem Papa hanc in rem in Franciam ablegabat, omne auxilium polliceretur, sed etiam ceteri inferiores Principes Cæsari adversus Papam opem ferre detrectarent.

§. CV.

*Cæsar Estensis a Summo Pontifice anathematis pœna territus.*

*Struv. Hist. Germ. Period. 10. sect. 7. §. 17. Spond. l. c. Ciac. tom. 4. vit. Clem. VIII. p. 256.*

Postquam Cæsar sinistrum Legationis suæ successum per Ziliolum Comitem edoctus erat, Pontificis repulsa vehementer exacerbatus prætensum suum jus, quod rationum firmitate consequi desperabat, per obfirmatam armorum violentiam extorquere decreverat, ea propter bellum adversus Papam adornare, copias conscribere, cunctosque Italiæ Principes ad arma capeffenda sollicitare satagebat: verum Pontifex præfervidum hujus Principis ingenium lenitatis via flectere intentus, die quarta Novembris Cæsarem vel per se, vel suos Procuratores Romam trina vice adnotum intra quindecim dierum spatium venire jussit: interea vero ultro, citroque de Pontificis æque, ac Cæsaris causa,

Sæcul.XVI.  
A.C.1597.

caussa, juribusque varia scripta rationum argumentis suffulta in vulgus spargebantur, in quibus pro suo quisque affectu de causæ meritis judicabat; porro Cæsar datis ad Papam literis omnem submissionem, pietatem, ac religionem erga sacram Sedem amplis verbis pollicitus, varias litis componendæ conditiones offerebat, semper tamen hoc negotium a Sedis Apostolicæ Judicibus decidi renuebat, atque Hispanorum, Venetorum, aliorumque Principum, quorum opem implorabat, præsidio fretus bellum adversus Pontificem paravit, conscriptasque sex peditum legiones unacum delecto equitum agmine in Bononiensem agrum Ductore Cajetano populatum emisit, ac primo impetu Pontificis copias ejus licentiæ obsistentes profligavit: quapropter Clemens, ut Cæsarem ad extrema prolapsum non tam feriret, quam terreret, in eundem, ipsiusque fautores anathematis poenam die vigesima tertia Decembris intentabat, missisque ad Principes literis illorum opem exposita Ecclesiæ causa implorans rogabat, ut si minus auxilia ferre vellent, saltem Cæsari non opitularentur: Papa vero in ecclesiasticæ ditionis urbibus copias conscribere jubens Petro Aldobrandino Cardinali hujus expeditionis curam, supremumque exercitus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

citus imperium demandabat, qua in occasione Henricus IV. Franciæ Rex egregium suæ erga sacram Sedem observantiæ specimen ediderat; quippe missis ad Clementem VIII. literis obsequii, ac reverentiæ plenis pollicebatur, semetipsum cum Belliducibus, atque exercitu suo in Italiam venturum, ut causiæ æquitatem armorum potentia defenderet: nec suo effectu ampla hæc Regis pollicitatio frustrabatur; Principes enim Cæsari sanguine juncti, cum Gallici patrocini terrore percellerentur, remissius erga eum studium ostendebant, quod non parum ad litem amice componendam conducebat, prout anno sequenti referemus.

§. CVI.

*Belgii res.*

*Gallut. de bello Belg. l. 9. § 10. Thuan. l. 119*

Cum interea Albertus Archidux Austrianensibus opem ferre intentus esset, ac Germani milites, quos sub Bergensis, & Briæ Comitum imperio in Belgio reliquerat, Mauriti copias resistendo impares essent, fœderati Ordines Anglis, Frisiiisque juncti die vigesima Augusti Rhenobergam oppidum in Ernesti Colonienfis Archiepiscopi ditione quidem situm, Hispano tamen præsidio munitum ditione ceperunt: inde vero Mauritius adversus Mursam Clivienfis Du-

Ducatus oppidum arma convertit, ar-  
ceque Mutiliana potitus tertia die Se-  
ptembris ipsam urbem pactis conditio-  
nibus traditam ingrediebatur, conti-  
nuatoque victoriarum cursu die octava  
ejusdem mensis Rheno flumine trajecto  
ad Grollam urbem die undecima Sep-  
tembris castra posuit, ac post septende-  
cim dierum obsidionem hoc oppidum  
suis armis subjecit, promotisque castris  
Brefortium arte, manuque munitum  
Zutphanix oppidum, arcemque vi oc-  
cupabat: paulo post die decima octava  
Octobris Enschedam urbem trans Ista-  
lam fluvium in Tuentia regione sitam  
progressus, eam sequenti die præter  
omnem expectationem præfidiariis de-  
ditionem poscentibus recepit, eodem-  
que fato Otmarix, & Oldensalix urbis  
præfidiarii die vigesima quinta ejusdem  
mensis deditionem fecere. Superatis  
hisce oppidis unicum adhuc in trans-  
rhenana ditione Hispano milite custo-  
ditum supererat, Linga, seu Lingena  
dictum, cui Fridericus Comes Thserem-  
bergius præerat, qui tamen die duode-  
cima Novembris in deditionis pacta  
consensit: ipse vero Mauritius bellicis  
laboribus fractus, ac continuatæ felici-  
tatis gloria tripudians exercitum suum  
in hyberna dimisit, ejus tamen læti-  
tiam nonnihil turbabat inopinatus even-  
tus;

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

tus; quippe Maria illius foror ipso infans cum Emmanuele Antonii Lusitaniae Regis filio nuptias contraxerat.

§. CVII.

*Daniæ Regis conatus pro pace inter  
Hispaniæ Regem, & fœderatos  
Ordines sancienda.*

Thuan. l. c.  
Palat. in vita  
Rudolphi II.  
l. 47. cap. 2.  
num. 138.

Prospero hoc Belgarum Protestantium successu territus Philippus Hispaniarum Rex Rudolphum Cæsarem impellebat ut imperii Principes ad procurandam in Belgio pacem sollicitaret: hos inter ceteris ardentius suas partes hoc in negotio interponebat Christianus IV. Daniæ Rex, qui hortante Imperatore Oratores suos primum in Angliam, dein Arndum Vitfeldium, & Christianum Bernecarum ad Fœderatos Ordines ablegabat, propositis hisce mandatis. I. Amicitia, quæ olim Friderico ipsius Patris cum Guilielmo Nassovio Arausionensi Principe, & Fœderatis Belgii Provinciis intercesserat, innovetur, pacisque non modo inter eos, sed omnes Christiani orbis Principes sancientiæ ratio ineatur, ipse vero communicato cum Ordinibus consilio, ac implorato aliorum Imperii Principum consensu rem perficere permittatur: II. Ipsi Ordines conditiones, sub quibus cum Philippo Rege

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

Rege convenire parati essent, ingenue exponant. Præterea hi Oratores proponere jubebantur, quod Daniæ Rex unice Dei gloriam, publicamque tranquillitatem procurare intentus omnem concordiae rationem detestetur, quæ Protestantium doctrinæ, in qua mori cuperet, aut ipsorum libertati ullum præjudicium afferre posset, hacque super re jamjam cum Elisabetha Angliæ Regina egisset. Verum ad hæc Daniæ Regis postulata ordinum Delegati die vigesima quarta Octobris Hagæ convenientes perniciosi hujus belli invidiam in Hispanos rejiciebant, eoquod hi nunquam consentire voluerint, ut Protestantium religioni, & libertati satis idonee caveretur; his igitur præmissis Deputati responderunt, quod foederati Ordines pacem quidem unice in votis haberent, illam tamen cum Hispanis salva religione, & patria libertate iniri posse desperarent, aliunde vero tam Galliarum Regi, quam Elisabethæ arctiori fœderis vinculo adstricti, ipsis haud consultis citra violatæ fidei injuriam de pace agere haud valerent. Accepto hoc responso Daniæ Regis Oratores re infecta reversi sunt: jam antea vero Paulus Dizialius, qui Sigismundo Poloniæ Regi a secretis erat, ineunte mense Augusto Hagam venerat, idem pacis negotium

tium



Sæcul. XVI. tium procurare iussus; cum autem plus  
 A. C. 1597. minis, quam rationibus rem urgeret, a  
 fœderatis Ordinibus minime auditus est:  
 porro inde in Angliam discedens, cum  
 minas itidem precibus admisceret, ac  
 que Austriacam affinitatem supra mo-  
 dum extolleret, & Polonorum privile-  
 gia in Anglia per Reginam valde immi-  
 nuta, necnon commercium cum Hispa-  
 nis interdictum quereretur, arrogans  
 Regina hunc in modum respondit:  
 „multum expectatione mea deceptam  
 „me cerno, cum Legationis loco expo-  
 „brationem contra me institutam, ac  
 „pro Legato Fecialem ad me missum ex-  
 „periar: ejusmodi autem verbis Rex  
 „Dominus tuus, si coram adesset, certe  
 „usus non fuisset, aut si hæc ab eo man-  
 „data accepisti, ideo factum existimo,  
 „quia Rex adhuc Juvenis non successio-  
 „nis jure, sed electionis beneficio re-  
 „gnum Poloniæ adeptus negotia, quæ  
 „cum ejus Prædecessoribus intercesse-  
 „runt, minus scit: ea vero, quæ idem  
 „de interdicto commercio queritur, non  
 „ex rei veritate, sed hominum studiis,  
 „incertoque rumore ad ipsum perlata  
 „censeo; libera enim Polonis est in An-  
 „glia per terram negotiatio: maritima  
 „vero olim imminuta quidem, nunc  
 „autem ita restituta est. ut æquo jure  
 „ipsi cum Anglis ea uterentur: quod  
 „autem

„autem navigationem Hispanis inhi-  
 „buerim, multas, justasque cauffas ha-  
 „bui; semper enim cautum erat, ne ad  
 „regni hostes frumentum, bellicusque  
 „apparatus deferretur, quod tamen Hi-  
 „spani fecerunt.“ Cum ergo Sigis-  
 mundi Orator, quid ad hæc responderet,  
 paratum nil haberet, ad sua reversus  
 est. Nec magis propitium responsum  
 a rebellibus Batavis receperat Nivellius  
 Comes, quem Cæsar Hagam die octava  
 Septembris decreverat, ut ab eis pete-  
 ret, quatenus Cæsar, ceterorumque  
 Imperii Principum Legatos de pace cum  
 ipsis acturos admitterent: ex hac ipsa  
 autem repugnantia Protestantes Belgæ  
 satis manifeste prodebant, quod nequa-  
 quam sincero animo pacem desiderarint,  
 sed pro more omnium hæreticorum  
 belli, ac publicorum tumultuum bene-  
 ficio sectam suam stabilire sategerint:  
 hinc Philippus II. Hispaniæ Rex despe-  
 rato pacis negotio suum consilium, quod  
 de Belgicis ditionibus cepisset, Braban-  
 tiæ Ordinibus, aliisque aperiebat, de-  
 clarans, quod filiam suam Isabellam  
 Claram Eugeniam Alberto Archiduci,  
 præmissis tamen summi Pontificis con-  
 sensu, in sponsam destinasset, eique do-  
 tis nomine Belgicas, Burgundicasque  
 Provincias tradere paratus esset: igitur  
 die secunda Decembris hoc anno hoc

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1597.

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

Q con-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

connubium solemniter rito Bruxellis præfente Francisco Mendoza promulgatum est, atque anno sequenti die decima quinta Augusti omnes Belgii Ordines, ac Principes translationem Belgici Principatus ratam habuere & Archiduci, ejusque sponsæ Isabellæ consuetum fidei Sacramentum non sine maximo Catholice religionis emolumento præstitere.

§. CVIII.

*Tumultus in Suecia ob religionis diversitatem.*

*Thuan. 8.  
Spond. l. 6.*

**E**odem hoc anno Lutherani in Suecia adversus Sigismundum Regem suum arma sumere, regnumque a legitimo hærede in alium sectæ suæ addictum transferre præsumebant; cum enim protuenda sua hæresi omnia jura evertere dudum assueti essent, jam anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quinto in Sigismundi Poloniæ Regis Patrum nomine Carolum Sudermaniæ Ducem confessioni Augustanæ addictum totius regni administrationem, excluso Rege, in Sudercopiensibus comitibus transferebant, & Catholicam religionem penitus eliminare aggrediebantur: Sigismundus igitur, cum suam auctoritatem tam indigne præteritam cerneret, conciliatis sibi aliquot Proceribus, &

Ma-

Magistratibus, missisque ex Polonia in Sueciam Legatis de Caroli Patruī sui injuriis querebatur; hic autem inde atrocior factus nequidem Proregis titulum sibi a Sigismundo collatum eidem in acceptis referre dignabatur, quocirca regni administrationem sibi à suo nepote concessam abdicabat, ea lege, ut eandem non tam a Rege, quam a regni Ordinibus delatam mox resumeret, quam in rem *concordiæ, & constantiæ* (uti hisce rebellibus loqui placuit) conventum Arbogiæ ad diem decimam octavam Februarii indixit, in quo tamen ex Senatorum ordine nonnisi unus comparuit, ceteris indignationem Regis pertimescentibus; hic enim regiam suam Majestatem ejusmodi usurpationibus violari contestatus ad hunc conventum accedere suis subditis inhibuit: mox tamen rebelles vulgato edito Ordinum comitia celebrandi necessitatem obtendebant, & quamvis se nihil contra Christi religionem, regiamque Majestatem molituros verbis profiterentur, opere tamen fidei orthodoxæ sanctitatem, Regisque auctoritatem pessumdabant; quippe non modo in Sudercopiensi conventiculo sancita effectui dari præcipiebant, sed etiam die quinta Martii rejecta fide catholica solam confessionem Augustanam nonnisi ante quadrien-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

**Sæcul. XVI.** driennium receptam in universo regno  
**A.C. 1597.** adoptari decernebant, satis benigne cum  
 Rege suo agi reputantes, cum eidem  
 indulgerent, ut tunc, si in Sueciam ven-  
 turus esset, duntaxat in regio facello  
 suo Catholicæ Religionis usum habere  
 valeret, hinc iidem usitatum alias hæ-  
 reticorum principium: *qualis Rex, talis*  
*Religio*, haud quaquam contra ipsos ad-  
 hibendum rati sunt: postea Regem, quem  
 sub tam iniqua conditione haud ventu-  
 rum noverant, missis Legatis rogabant  
 ut adventu, ac præsentia sua turbatas  
 res in regno suo componeret, interea  
 vero Carolus tanquam Prorex pro sum-  
 mo imperio regnum administraret. His  
 sancitis, dimissoque conventu eadem  
 die Martii Carolus Consiliarios, qui abe-  
 rant, ut intra sex hebdomadas hisce  
 Decretis subscriberent, urgeri iussit, si  
 vero renuerent, in eos se animadversu-  
 rum minitatus: attamen horum non  
 pauci rei indignitatem abominantes,  
 Regisque offensionem veriti in varias  
 regiones auffugere, quam tantæ iniqui-  
 tati adstipulari maluerunt: nihilominus  
 Carolus Stockolmiam regni Metropolim,  
 arcemque, & Calmariense castrum oc-  
 cupat, omnesque provincias ad fidem  
 sibi jurato spondendam, seque pro Rege  
 agnoscendum armorum vi, metuque  
 adigit, soli tamen Finlandiæ præsidium,  
 nec

necnon Abovienses regi suo fideles per-  
fistebant. ac Revalienses ad defectionem  
scripto sollicitati, Caroli literas nullo  
dato responso ad Sigismundum Regem  
transmittebant. *Hi nimirum, inquit  
Spondanus Apamiensis Episcopus, olim  
Calvinista, sunt fructus novi istius Evan-  
gelii, rebelliones, & seditiones suadentis.*

Sæcul. XVI.  
A.G.1597.

§. CIX.

*Hispana, atque Anglica classis tempe-  
statum furore dispersa.*

Nihil antiquius erat Philippo II. Hi-  
spaniarum Regi, quam ut Catholi-  
cos ab hæreticis graviter oppressos po-  
tenti auxilio adjuvaret: eapropter de  
pace cum Henrico IV. sancienda secu-  
rus cum ab Hibernis, qui religionis caus-  
sa ab Elisabetha Angliæ Regina acriter  
vexabantur, opem ferre jam dudum sol-  
licitaretur, ipsiusque auxilia Hugo Ti-  
rænæ Comes in tota hac insula non mo-  
do opum abundantia, sed maxime fidei  
orthodoxæ zelo clarissimus avide præ-  
stolaretur, atque ex Hispana classe  
ad hanc expeditionem parata nonnisi  
paucæ naves anno priori ob tempestatum  
ferociam appulissent, ideo Philippus  
hoc anno novam classem instrui præce-  
pit, quæ mense Octobri iter Hiberniam  
versus instituit. Re comperta haud se-

*Rapin hist.  
d' Angl. l. 17.  
Spond. hoc  
ann. n. 15.*

Q 3

gnus

Sæcul. XVI.  
A C. 1597.

gnius Elisabetha viginti sex navium classem sex armatorum millibus validam adornari iussit, Essexiæ Comite in Architalassum nominato, qui etiam Caronium versus vela facere, ibidemque hostilem militum delectum præpedire, simulque Hispanam classem ex Indiis revertentem apud insulas Azoras, seu Terceras intercipere meditabatur: verum adversantis venti invidia, tempestatum violentia, atque assidua comitem inter & Rawleichium dissensione factum, ut Anglica classis amissis pluribus navigiis apud insulas Azoras exscensione facta nonnisi exiguam prædam referret, omnique spe excideret diripiendæ Indicæ Hispanorum classis, cum illa omnino incolumis in Hispaniam perveniret, quamvis Anglorum navigiis in patriam re infecta revertentibus alia Hispanorum classis in idem regnum ex Fariolæ portu excurrere, atque Corisopoti exscendere parata furentibus austris unacum Anglica classe dissipata fuisset.

## §. CX.

*Gilberti Genebrardi Acquensis Archiepiscopi obitus.*

Thuan. 119.  
pag. 816.

Aubert. Mi-  
ra. Script.  
Sæc. XVI.  
Spond. n. 17.

Inter viros literis illustres, qui hoc anno fati functi sunt, ceteris celebrior est Gilbertus Genebrardus Ricomagi in Al-

vernica circa annum Domini millesimum quingentesimum trigessimum septimum natus, qui in Mausacensi Abbazia Ordinem Sancti Benedicti Congregationis Cluniacensis professus, ac Parisios delatus præceptores habuit in Græco idiomate Turnelium, in Philosophia Carpentarium, in theologicis vero disciplinis Claudium Sanctium: postea vero linguarum peritia, omnique scientiarum genere adeo inclaruit, ut Theologiæ Doctor creatus, per plures annos in Regia Academia Hebraici idiomatis Professorem ageret: cum vero Religionem Catholicam toto studio defenderet, atque hæreticos validis rationibus semper impugnaret, ideo sese immoto studio fœderatis adjungebat, atque ad eorum preces a Gregorio XIII. Acquensis in Provincia Archiepiscopus renunciatus est, cujus etiam Ecclesiæ possessionem mense Septembri anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo tertio adibat: postquam vero Henricus IV. rerum summa potitus erat, quæsito obtentu, quod hunc Archiepiscopatum non interveniente Regii nominis auctoritate a Papa adeptus esset, atque in suis sermonibus nonnunquam acerbioribus verbis contra Regem declamasset, librumque *de sacrarum electionum jure* scripsisset, hujus Regis jussu ab Acquensi

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

Thu. l. 119.  
Posses. in app.  
par. S. & in  
Biblioth. se-  
le. l. 2. c. 68.

Q 4

quensi



saecul. XVI.  
A.C. 1597.

Vid. Lib.  
CLXXXII.  
§. 40.

quensi Senatu, prout supra memoravi-  
mus, die vigesima Januarii anno prior  
in exilium pellebatur, ejus libro flama-  
mis absumpto: inde tamen ad suum Be-  
tae Mariae Samurienfis Prioratum redire  
permiffus ibidem die decima sexta Fe-  
bruarii hoc anno fere sexagenarius obiit  
prout sepulcralis monumenti fui inferi-  
ptio testatur, in qua hoc carmen lega-  
tur: *urna capit cineres, nomen non ora  
tenetur.* Scripsit hic vir illius aevi longe  
doctissimus quamplurimos tum Didacti-  
cos, tum Historicos, nec non alios va-  
rii argumenti, ac idiomatis libros, quo-  
rum potissimos Catalogus anno millesi-  
mo quingentesimo nonagesimo primo Pa-  
risiis editus complectitur: celebriores  
vero sunt sequentes: I. Libri tres de San-  
ctissima Trinitate, Parisiis anno millesimo  
quingentesimo sexagesimo nono, & mil-  
lesimo quingentesimo octogesimo sexto  
typis vulgati. II. Responfiones ad Jaco-  
bum Schegkium, & Lambertum Da-  
naeum. III. Commentarii in Psalmos  
Davidis, & Cantica Canticorum, nec  
non Joelem Prophetam. IV. Notae ad  
Libros quinque Claudii Espencae de  
Eucharistia. V. Liber de Sibyllis ad  
librum Perionii, & de vitis sanctarum  
mulierum veteris Testamenti. VI. O-  
puscula contra illius aevi politicos.  
VII. Varia opuscula e Rabbiorum, &  
Grae-

Græcorum libris translata. VIII. Editio nova Origenis. IX. Ifagoge ad legenda Hebræorum scripta sine punctis. X. Symbolum fidei Judæorum, præter plurima alia Rabbīnorum opera latine reddita, pluresque libros nondum typis vulgatos, quorum Catalogum Possēvinus in suo sacro Apparatu recenset: præprimis vero celebrantur ejusdem quatuor Chronologiæ sacræ libri, in quibus tamen Joannes Deckerus, & Simon Fridelinus multa, quæ censuram merentur, adnotarunt, quamvis Possēvinus ingenuè fateatur, quod præter Genebrardi chronologiam nulla integrior, magisque absoluta fuerit edita. Adscribitur quoque eidem Genebrardo liber, cui titulus: *Guilielmus Rossæus de justa Reipublicæ Christianæ in Reges impios, & hæreticos animadversione.*

Sæcul. XVI.  
A C. 1597.

§. CXI.

*Aldi Manutii extrema.*

**H**oc item anno Romæ anno ætatis suæ quinquagesimo die vigesima secunda Octobris obiit Aldus Manutius, qui avum, nomine Aldum, patremque suum Paulum, viros doctrina celeberrimos commendanda æmulatione superare intentus a teneris sese totum literis dicabat, cum tanto laboris sui profectu, ut

*Lexic. Hist. Verb. Manutius. Thuan. & Spond. l. c. Miræus l. c.*

**Sæcul. XVI.** vix decimum quartum ætatis suæ annum assecutus, jamjam *tractatum de re-  
ste scribendi ratione* ederet, e Cicerone, & Cæsare Phrases, Orthographiam vero ex nummis, marmoribus, græcisque, & latinis Grammaticis mutuans: postea humaniores literas primo Venetiis, ac demum Caroli Sigonii loco substitutus Bononiæ, & Pisis publice profitebatur, atque a Sixto V. Pontifice Romanam accersebatur, ubi tamen adversantis fortunæ procellis tam dire jactabatur, ut teste Jano Nicio Erythræo, locupletissimam familiæ suæ Bibliothecam, quæ octingentis voluminum milibus constabat, ex inopia vendere cogeretur: non tamen hoc subsidio dudum ipsius egestati consultum fuisset, nisi summi Pontificis liberalitate identidem adjutus mortuo Thoma Coræo in romano sapientiæ Gymnasio humaniores literas tradere, atque ab eodem Clemente VIII. Papa typographiæ opera corrigere permissus fuisset, adeo presso tamen pedes fortunæ invidia hunc virum insequeretur, ut ipsius Scholaribus illum audire dedignantibus plerumque per integram horam, qua docere debuisset, solus in Gymnasii atrio deambulare cogeretur: minime enim disertus labente etiam memoria ex suis scriptis ferme cuncta verba dictare compulsus erat: tandem vero  
mife-

miseram vitam finiens testamenti tabulis Sæcul.XVI.  
 Bibliothecam reliquam Pisanæ Acade- A.C.1597.  
 miæ relinquebat. Edidit præter Com-  
 mentarium in Ciceronis libros, tracta-  
 tum de Calendario veteri Romano, nec-  
 non alium de interpungendi ratione, &  
 conscribendis epistolis: insuper scripsit  
 emendationes, & notas in Censorinum  
 de die natali, & in Vellejum Patercu-  
 lum, necnon orationem de laudibus  
 Francisci Medicæi: præterea vitam Cos-  
 mæ magni Etruriæ Ducis elucubravit.  
 Hunc scriptorem Jacobus Thomasius li-  
 terarii plagii postulat, eoquod suum  
 Commentarium in Ciceronem, ejusdem-  
 que Epistolas ad Atticum, & Cæsarem  
 ex Hieronymo Wolfio, Jano, Parrhasio,  
 & Rhellicano descripserit, quin horum  
 Auctorum mentionem fecisset.

§. CXII.

*Joannis Marshalli mors.*

Ecclesiasticis quoque scriptoribus hoc *Miræus l. c.*  
 anno accensendus venit Joannes  
 Marshallus natione Anglus, qui Dorce-  
 striæ in patria sua politiores literas cum  
 eximio applausu publice tradiderat: re-  
 gnante autem Elisabetha Regina, atque  
 hæresi in Anglia impune grassante reli-  
 ctis patriis laribus unacum Thoma Hido  
 Wintoniensi Canonico in Belgium seces-  
 sit, ac Lovanii literarum otio strenue  
 in-

**Sæcul. XVI.** indulfit, tandem vero Ludovici Audaci  
A.C. 1597. Cassani Præfulis opera Insulis in Flandria  
 Canonicatum obtinuit, cujus tamen  
 possessionem adire diu prohibebatur, eo  
 quod ferventibus Belgii tumultibus con-  
 tra Joannem Austriacum, quem Philip-  
 pus II. Belgii gubernatorem nominabat,  
 jurare recusasset: rebus autem nonnullis  
 compositis quiete per octodecim annos  
 hoc beneficio fruebatur, demum vero  
 ut reliquos vitæ dies soli Deo liberius  
 consecrare posset, hunc ipsum Canoni-  
 catum Guilielmo Giffordio Doctori ces-  
 serat: porro cum Jacobus Calfidius An-  
 glus Calvinii veneno imbutus sacræ Cru-  
 cis adorationem horrendis blasphemis  
 impugnare aggressus esset, eundem  
 Marshallus edito libro, cui titulus, *De-  
 fensio sanctæ Crucis*, egregie confutabat,  
 ac contra hujus hæretici responsionem  
 adeo solidum edebat librum, ut hic vel-  
 ut bos mutus conticesceret, in cuius  
 victoriæ trophæum Joannes pretiosum  
 annulum testamento Insulensi Ecclesiæ  
 reliquit, eo fine, ut sanctæ Crucis par-  
 ticula ibidem religiose asservata locu-  
 pletius exornaretur: scripsit etiam hic  
 auctor tractatum de tonsura Clericorum,  
 qui tamen haud plene elaboratus non-  
 dum publicam lucem aspexit. Obiit  
 tandem Marshallus Insulis, ibidemque  
 sepultus est.

§. CXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

*Michael Iselt, & Jacobus Viecius*  
*mortui.*

Ad eundem annum refertur obitus Mi- *Miræus l. c.*  
chaelis ab Iselt Amerfortii in Ultra- *p.218. & 229*  
jectina provincia nati, qui adhuc ju-  
venis severioribus disciplinis aptus Lo-  
vanium mittebatur, ut ibidem ingenium  
suum literis excoleret, ubi primo qui-  
dem Philosophiæ, & postea Theologiæ  
egregiam navans operam sacræ militiæ  
nomen dabat, zeloque Apostolico ani-  
matus, cum ob exortos in patria tumultus  
Ecclesiæ Pastoribus suis non raro  
orbatae essent, illorum loco populum sa-  
cris sermonibus, aliisque pastoralis mi-  
nisterii muniis recreabat: increbrescen-  
te autem rebellium rabie, atque Am-  
stelodamo, & Amerfortio in Calvinista-  
rum, qui se *Geusios* appellitabant, pote-  
statem redactis, Michael in exilium ab  
eis pulsus, Coloniam aufugere coge-  
batur, in qua urbe per plures annos ab  
omnibus, præcipue Senatoribus plurimi *Possev. in*  
habitus cunctas solliciti Pastoris partes *appar.*  
explebat: inde vero Noviomagum con-  
tendens, hac urbe rursus a Geusiis ca-  
pta Hamburgum sese recepit, ubi Italis  
quibusdam mercatoribus concionando,  
atque Ecclesiæ Sacramenta adminiftran-  
do operam suam dicans ibidem die de-  
cima

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

cima septima Octobris hoc anno animam Deo reddidit. Elucubravit præprimis Historiam belli Coloniensis quatuor libris comprehensam, necnon rerum memorabilium in Belgio sub Philippo II. Hispaniarum Rege, quam Historiam ab anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto usque ad hunc annum perduxit: edidit etiam vitam Cornelii Mussi Bisuntini Episcopi, cujus etiam sermones italicos latine reddidit: denique præter alia opuscula posteris reliquit librum, cui titulus *Paradisus precum*, necnon tractatum de frequenti communione, atque exercitia in septem meditationes matutinas. Alter hoc anno defunctus erat Jacobus Viecius natione Polonus patria Vangroveensis Societatis Jesu Theologus, qui Græcis, atque Hebraicis literis probe excultus, tam in Polonia, quam Transylvania calamo, & ore hæreticos impugnabat, hancque in rem tractatus edidit de Sacrificio Missæ, & de Purgatorio, necnon alium contra confessionem Sendomiriensem: insuper vetus, novumque Testamentum mandante Gregorio XIII., & approbante Clemente VIII. in Polonicam linguam traduxit, de cujus versionis utilitate jam alibi mentio occurrebat: tandem vero Cracoviæ hoc anno vivis ereptus est.

*Vid. Lib.*  
*CXXVII.*  
*S. 96.*

S. CXIV.

§. CXIV.

*Petri Canisii mors.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1597.

Scriptoribus ecclesiasticis hoc anno defunctis etiam accensendus venit Petrus Canisius, natione Belga, patria Noviomagensis ad Vahelim flumen Patre in Geldria Consule natus, qui a puero pietatis studiis addictus ob præclaram ingenii, ac memoriæ felicitatem amplissima etiam scientiarum ubertate in Germania sese celebrem reddebat: cum autem sancti Ignatii societas tunc primum e cunabulis prodiret, atque eo tempore Petrus Faber Allobrox, unus ex decem primis ejusdem sancti Ignatii fociis, Colonia Moguntiam forte veniret, is Petrum in societatem adoptabat, qui etiam in Italiam missus in Sicilia ex Jesuitis primus Rhetoricam tradebat: inde vero a Divo Ignatio revocatus Ingoldstadium ad Guilielmum Bayariæ Ducem mittebatur, scholasticam, ut vocant, Theologiam professurus: postea vero Viennensem, Pragensem, Dilinganam, Coloniensem, & Friburgensem Academias luculentis ingenii sui monumentis illustrabat: præcipue fervidis suis concionibus, accerrimisquæ contra hæreticos disputationibus omnem Lutheri, ac Calvinii erroribus aditum ad Ferdinandi, & Maximiliani, Cæsarum

*Alegamb.  
Bibl. Script.  
Jes. p.374.  
Miræus  
Script. Sæcul. XVI.*

nec-



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1597.**

necnon ad Guilielmi, & Alberti Bavarie Ducum aulas, & ditiones præcludebat, Catholicosque in fidei constantia propinatis saluberrimis doctrinis unacum Paulo Hosfæo firmabat, quocirca sapientissimus, & magnanimus Bavarie Dux Albertus V. ambos hosce viros Petrum, & Paulum encomio geminis Apostolorum Principibus ab Ecclesia adscripto solito honorabat, hæc sæpius verba proferendo: *Petrus & Paulus ipsi nunc docuerunt legem tuam DOMINE.* Contra Sectarii Canisium *Canem Austriacum* per ignominiam appellitabant, eo quod contra hosce lupos in Austria velut Evangelicus canis semper vigil latrasset, eosque suo etiam morfu ab ovili Christi avertisset: tanta insuper humilitate eminebat Canisius, ut Viennensem Episcopatum a Ferdinando I. Romanorum Rege oblatum repudiaret, eo tamen postulante scripsit *Summam Doctrinæ Catholicæ*, succinctam quidem, sed propter suam utilitatem variis locis, & linguis sæpissime recusam. Edidit etiam tomos duos de verbi Dei corruptelis adversus Centuriatores Magdeburgenses, nec minus celebrantur ipsius notæ in Evangelicas lectiones, quæ per totum annum Dominicis, ac Festis diebus in Ecclesia recitantur: præterea extrema jam ætate varios libellos asceticos, tam latino, quam

quam germanico idiomate ediderat, Sæcul.XVI,  
A. C. 1597.  
quæ Pater Alegambe in Bibliotheca  
Scriptorum Societatis Jesu recenset.  
Tandem meritis, & gloria plenus hoc  
anno die vigesima prima Decembris an-  
no ætatis suæ septuagesimo secundo  
Friburgi apud Helvetios obiit, in cujus  
honorem Ingoldstadiense Collegium  
Theologicum gratitudinis ergo Cenota-  
phium, seu elogium poni curavit.

§. CXV.

*Alphonfi Pisani obitus.*

**A**d hunc quoque annum Aubertus Mi-  
ræus refert obitum Alphonfi Pisani, Miræus l. 2.  
p. 238. Ale-  
gamb. p. 19.  
quem tamen præfatus Pater Alegambe  
anno sequenti decessisse testatur. Erat  
is Toleti in Hispania natus, ubi tam in  
Philosophicis disciplinis, quam medica  
arte excellens literatorum honoribus  
ornabatur, atque anno Domini millesi-  
mo quingentesimo quinquagesimo tertio  
Societatem Jesu amplexus, Romamque  
missus Aristotelis præcepta interpreta-  
batur, ibidemque Theologiæ Doctor  
renuntiatus paulo post in Germaniam  
reversus est, ubi anno Salutis nostræ  
millesimo quingentesimo quinquagesimo  
nono in Ingoldstadiensi, & Dilingana A-  
cademiis Theologiam cum summo ap-  
plausu tradebat, ac demum anno Christi  
*Hist. Ecclesiast. Tom. LII. R mil-*

Sæcul. XVI. millesimo quingentesimo sexagesimo  
A. C. 1597. octavo in Poloniam missus, ibidem per  
 sexdecim annos commoratus Catholice  
 doctrinæ puritatem adversus sectarios  
 strenue propugnabat, inde vero Calis-  
 sium delatus, ibi reliquam ætatem in  
 variis pietatis exercitiis exegit usque ad  
 extremum vitæ suæ diem; porro in gra-  
 vissimum, ac diuturnum morbum inci-  
 dens mense Octobri annos natus septua-  
 ginta, & unum ad perennem vitam  
 translatus est: posteris reliquerat qui-  
 tuor libros de Concilio Nicæno I., quod  
 appositis sanctorum Patrum testimoniis  
 illustrabat, illud vero opus Colonien-  
 bus literis anno millesimo quingentesi-  
 mo octuagesimo primo recusum, auctum-  
 que prodiit: scripsit etiam tractatus de  
 abstinentia, & continentia, necnon de  
 quæstionibus fidei controversis, præter  
 Catholicam responsionem ad epistolam  
 Niemofenski de Ecclesia, & Pontifice,  
 unacum brevi confutatione centum tre-  
 decim errorum circa septem Ecclesie  
 Sacramenta.

## §. CXVI.

*Varia Parisiensis Universitatis gesta.*

*Argentre  
 Collect. judic.  
 tom. 2. p. 533.*

Cum jamjam anno priori die secunda  
 Januarii Victor Palma Cajetanus  
 sancti Marci de Caupis Monachus in Bac-  
 calau-

calaureum recipi peteret, Parisiensis  
 Facultas Theologica re maturius pen-  
 sata hanc petitionem tanti momen-  
 ti censebat, ut hoc negotium utpote  
 novum ad summi Pontificis iudicium  
 referret, necnon Victori in responsis  
 daret, quod eum admittere vellet,  
 si ea de re indultum a Sede Apostolica  
 obtineret: igitur Victor ad Papam recur-  
 rere compulsus die vigesima Martii an-  
 no Salutis nostræ millesimo quingente-  
 simo nonagesimo sexto petitum diploma  
 a Clemente VIII. impetrabat, die autem  
 decima tertia Martii anno Christi mille-  
 simo quingentesimo nonagesimo septi-  
 mo Jacobus Ebroicensis Episcopus hanc  
 gratiam ad disputationes ultro, citroque  
 in Facultate habendas, necnon ad ob-  
 tinendas dignitates, & beneficia Eccle-  
 siastica a Papa eidem Victori conces-  
 sam fuisse fidem fecerat: ideo Aposto-  
 lico diplomate, necnon testimonio, quod  
 de Victoris moribus, & vita ejus-  
 dem monasterii Prior dederat, recitato  
 sacra Facultas eundem in Baccalaureo-  
 rum numerum recepit, ea tamen lege,  
 ut nihil contra Facultatis leges ageret,  
 quod ipse etiam promiserat. Eodem  
 anno die prima Julii pariter admisit Fa-  
 cultas Antonium Fusium, cui præter  
 sex alias conditiones edito decreto in-  
 junxit, ut in Thesis uniformem am-

Sæcul. XVI.

A.C. 1597.

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1597.** plecteretur sententiam, atque ab omni  
 novitate abstineret. Die autem prima  
 Septembris eadem Facultas declarabat,  
 quod ipsa censuram in Rambilletum  
 Cenomanensem Episcopum divulgatam  
 minime pronuntiaffet, cum Facultatis  
 consuetudo non esset de personis, sed  
 duntaxat de doctrina iudicium ferre.  
 Accusabatur hic Episcopus, quod an-  
 no Domini millesimo quingentesimo  
 octogesimo nono ad amicum quemdam  
 literas scripsisset, quibus Franciæ Re-  
 gum, qui Henrici nomen gesserunt, fa-  
 mam, auctoritatemque liberius pro-  
 scindebat, ad hunc vero Amicum con-  
 tra hasce literas Ludovicus Crellius  
 sacræ Facultatis Syndicus die decima  
 quinta Septembris eodem anno, non ta-  
 men sacræ Facultatis, sed suo nomine  
 rescripserat.

